
RITVALE

Zuchoski

Zuchoski

Zuchoski




# RITVALE
## SACRAMENTORVM
## AC ALIARVM ECCLESIÆ
### CÆREMONIARVM

*Ex Decreto Synodi Prouinc: Petricouien: ad uniformem Ecclesiarum Regni Polon: vsum recens editum.*




*Cum Licentia Superiorum.*

POSNANIÆ,
In Officina Alberti Reguli Anno Domini 1643.



# BREVIS
# ADMONITIO
## QVÆ IN SACRAMENTOrum Administratione Generaliter seruanda sunt.

VT ea quæ de Sacramentorum Ritibus ac Cæremoniis hic præscribuntur, qua par est diligētia ac religione custodiantur, & vbique fideliter, seruentur illud scire conuenit, quod Sacrosancta Tridentina Synodus decreuit, dicēs. Si quis dixerit, receptos & probatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libito omitti, aut in nouos alios, per quemcunque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit. Quare quilibet ad quem administratio Sacramentorum pertinet, meminisse inprimis debet, se sancta tractare: atque omni ferè temporis momento ad tam sanctæ administrationis officium paratum esse oportere.

Quamobrem illud perpetuò curabit vt integrè, caste, pieque vitam agat. Quòd si fuerit peccati mortalis sibi conscius ad Sacramentorum admini-

ſtrationem non audeat accedere, niſi priùs corde pæniteat: & ſi habeat copiam Confeſſarij, temporibus locique ratio ferat, conuenit confiteri.

Quacunque die ac noctis horâ ad ſacramenta miniſtranda vocabitur, nullam officio ſuo præſtando moram interponat, præſertim ſi neceſſitas vrgeat. Ac propterea populum ſæpè præmonebit, vt tempeſtiuè ſibi ſignificetur, de neceſſitate alicuius Sacramenti adminiſtrandi.

Ipſe verò antequam adminiſtrationem inchoet, paululum orationi, & ſacræ rei quã acturus eſt meditationi vacabit.

In omni Sacramentorum adminiſtratione ſuperpelliceo ſit indutus, & de ſuper ſtola, niſi in ſacramento Pænitentiæ adminiſtrando, occaſio, aut conſuetudo, vel locus aliter interdum ſuadeat.

Curabit, vt ſacra ſupellex: veſtes, ornamenta, & vaſa integra, mundaque ſint. In ſacramentorum adminiſtratione, eorum virtutem, vſum, vtilitatem, diligenter explicabit vbi commodè fieri poterit, iis qui ignorabunt.

Adhibebit quoque ſaltim vnum, decenti habitu & ſuperpelliceo indutum, dum ſacramentum adminiſtrat. Singula verba, quæ ad illius formam pertinent, attentè, diſtinctè, & piè, atque clara vo-

ce pronunciabit, similiter & alias orationes, deuotè dicet, & quidem ex libro.

Intentus sit ei rei, quâ tractat, nec quidquã cum alio colloquatur, actualem attentionem habere studeat, cum intentione faciendi, quod facit Eccesia.

Illud porrò diligenter caueat, ne in Sacramentorum administratione, aliquid, quauis de causa, vel occasione, directè vel indirectè exigat, aut petat: sed ea gratis ministret. Si quid verò nomine eleëmosynæ, aut deuotionis studio, peracto iam Sacramento, spontè à fidelibus offeratur, id licitè pro consuetudine locorum, accipere poterit, nisi aliter Episcopo videatur.

Fidelibus alienæ Parochiæ Sacramenta non administrabit, nisi in necessitate, & ex licentia Parochi vel Ordinarij.

Omnes autem qui Sacramenta suscipiunt, monebit, vt piè, ac deuotè Sacramentis intersint, & quâ par est reuerentia suscipiant.

## DE SACRAMENTO Baptismi ritè administrando.

SAcrum Baptisma, Christianæ religionis & æternæ vitæ ianuam, cunctis ad salutem necessarium esse, ipsæ veritas testatur illis verbis. Nisi quis

si quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei, itaque summa diligentia adhibenda est, ad illud oportunè riteque administrandum & suscipiendum.

Oportunè Parochus hortetur, vt natos infantes baptisandos, quàmprimùm fieri poterit ad Ecclesiam deferant ij, ad quos ea cura pertinet,

Parochus exquirat diligenter, quem vel quos Patrinos elegerint, qui infantem de sacro fonte suscipiant: & non plures quám duo, vir & mulier, vel vnus admittatur ad summùm, eosque in ætate pubertatis ac Sacramento Cõfirmationis consignatos esse maximè cõuenit. Ad hoc munus nõ sunt admittẽdi infideles, hæretici, excõmunicati, publicè, aut interdicti, publicè criminosi, aut infames, insani, & qui ignorant rudimenta fidei, neque Religiosi Moniales.

Ac licet vrgente necessitate, vbique baptisare nihil impediat, tamen proprius locus est Ecclesia, nisi sint Regum aut Magnorum Principum filij.

Baptisterium sit decenti loco, decenter ornatum, & cancellis circumseptum, sera & claue munitum, in leoque si commodè fieri potest, pingatur imago S. IOANNIS CHRISTVM baptisantis.

Sacrum Chrisma & sanctum oleum, eodem anno sint ab Episcopo benedicta, veteribus in Ecclesia combustis.

Hæc

Hæc vaſcula, vbi hæc ſeruantur, in loco proprio, honeſto, ac mundo, ſub claue aſſeruentur decenter, & curet, ne per laicos hæc olea deferantur, & ne quid ab iis effundatur. Sal ſit benedictum peculiari benedictione, quod in os baptiſandi immitendum eſt, & nemini tradatur.

Vaſculum ſeu cochlear ex argento, vel metallo alio nitidum ſit, ad aquam Baptiſmi fundendam ſupra caput baptiſandi, quod nulli alij vſui deſeruiat.

Stolæ duæ, vna violacea, & altera alba, vt infra notatur, mutanda, ſin minus vna adhibeatur.

Medulla panis, qua digiti Sacerdotis, cùm manus lauat, abſtergantur, & vas pro manuum lotione poſt Baptiſmum, quod huic tantum vſui deſer uire decet.

Hic deniq;ue liber ſit Baptiſmalis, in quo bapti ſati deſcribuntur.

Omnibus igitur præparatis Sacerdos ad tanti Sacramenti adminiſtrationem, lotis manibus, ſuper pelliceo, & ſtola violacea indutus accedat, ad limen Eccleſiæ, vbi foris expectant, qui infantem detulerunt, & ibi interroget ( niſi de his benè ſibi conſtet ) an ſit ſuæ Parochiæ, maſculus an fœmina, an non iam ſit baptiſatus, qui ſint compatres,

quos, vt piè ac decenter assistant, & pro baptisando ad interrogationes respondeant, admoneat.

Et quoniam baptisandis tanquam filiis Dei in Christo regenerandis, nomen imponitur, curet, vt Sanctorum nomina iis imponantur, quorum exemplis fideles, ad piè viuendum excitentur, & patrociniis protegantur.

His igitur expeditis, & accepto nomine baptisandi, positi, si infans fuerit super brachium dexterum illius, qui eum defert, Parochus ad Baptismum procedat, in hunc modum nominatim interrogans.

# BENEDICTIO SALIS
## AD VSVM BAPTISMI.

Qui semel benedictus aliàs ad eundem vsum deseruire potest.

EXorcizo te creatura salis, in nomine Dei Patris Omnipotentis, ✠ & in charitate Domini nostri IESV Christi, ✠ & in virtute Spiritus Sancti, ✠ Exorcizo te per Deum viuum, ✠ per

Deum

Deum verum, ✠ per Deum sanctum ✠ per Deum ✠ qui te ad tutelam humani generis procreauit, & populo venienti ad credulitatem, per seruos suos consecrari præcepit, vt in nomine S. Trinitatis efficiaris salutare Sacramentum ad effugandum inimicum. Proinde rogamus te Domine DEVS noster, vt hanc creaturam Salis, sanctifices ✠ & benedicendo benedicas ✠, vt fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in visceribus eorum, in nomine eiusdem Domini nostri IESV Christi, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem, Amen.

Benedictio aquæ pro Baptismo infra habetur

## ORDO
## BAPTISMI PARVVLORVM.

Sacerdos interrogat.

Quid petis ab Ecclesia Dei.

℟.

Polonicé.

Czego żądasz od Kościoła Bożego?

Germanicè.

Was begehrestu von der H. Kirchen?

Respondet Patrinus.

Fidem.

Polonicè. Wiarey.

Germanicè. Glauben.

Sacerdos,

Fides quid tibi præstat?

Polonicè Wiára coć dawa.

Germanicè Was gibt dir der Glaub.

Respondet Patrinus

Vitam æternam.

Polonicè Żywot wieczny.

Germanicè. Das ewige Leben.

Sacerdos.

SI vis ad vitam ingredi serua mandata: Diliges Dominum Deum tu-

um,

um, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua: & proximum tuum ſicut teipſum.

Polonicè.

Jeśli chceß do żywotá wniść/ choway przykazania: Bedzieß miłowal Pana Bogá twego/ ze wßystkiego sercá twego / y ze wßystkiey duszy twoiey/ y ze wßystkiey myśli twoiey / á bliźniego swego/ iáko siebie ſamego.

Germanicè.

Wilſt du in das Leben eingehen ſo halt die Gebot: Du ſolt GOTT lieben von gantzen deinem hertzen/ von gantzer deiner Seelen/ von gantzen deinem gemüt / vnd deinen Nechſten als dich ſelbſt.

Deinde ter exſufflet leniter infaciem infantis, & dicat ſemel,

Exi ab eo, ( *vel* ) ab ea, immunde ſpiritus, & da locum Spiritui ſancto paraclito.

*Postea pollice faciat Signum Crucis in fronte & in pectore infantis, dicens.*

Accipe signum Crucis, tam in fronte ✠ quàm in corde ✠ sume fidem cœlestium præceptorum, & talis esto moribus, vt templum Dei iam esse possis.

## OREMVS

PReces nostras, quæsumus Domine, clementer exaudi: & hunc electum tuum (*seu*) electam tuam N. Crucis Dominicæ impressione signatum, (*vel*) signatã, perpetua virtute custodi, vt magnitudinis gloriæ tuæ rudimenta seruans, per custodiam mandatorum tuorum ad regenerationis gloriam peruenire mereatur. Per Christum Dominum nostrum, ℟. Amen.

Deinde imponat manum super caput infantis, ac dicat.

## OREMVS.

OMnipotens sempiterne Deus Pater Domini nostri IESV Christi, respicere dignare super hunc famulum tuum (vel) famulam tuam, N. quem ad rudimenta fidei vocare dignatus es: omnem cæcitatem cordis ab eo expelle: disrumpe omnes laqueos satanæ quibus fuerat colligatus: aperi ei Domine ianuam pietatis tuæ, vt signo sapientiæ tuæ imbutus, omnium cupiditatum fœtoribus careat, & ad suauē odorem præceptorum tuorum lætus tibi in Ecclesia tua deseruiat, & proficiat de die in diem. Per eundem Christum Dominū nostrum, ℟. Amen.

Deinde immittat modicum salis benedicti in os infantis, dicens.

N. Accipe ſalem ſapientiæ: propitiatio ſit tibi in vitam æternam, ℟. A.
Sacerdos Pax tecũ. ℟. Et cũ ſpiritu tuo.

OREMVS.

DEvs Patrum noſtorum, Deus vniuerſæ Conditor veritatis, te, ſupplices exoramus, vt hunc famulum tuum N. reſpicere digneris propitius, & hoc primum pabulum ſalis guſtantem, non diutius eſurire permittas, quòminus cibo expleatur cæleſti, quatenus ſit ſemper ſpiritu feruens, ſpe gaudẽs, tuo ſemper nomini ſeruiens. Perduc eum Domine quæſumus, ad nouæ regenerationis lauacrum, vt cum fidelibus tuis promiſsionum tuarum, æterna præmia conſequi mereatur. Per Chriſtum Dominũ noſtrum, ℟. Amen.

Exorcizo te immunde ſpirit⁹ in no-

mine Patris ✠ & Filij, ✠ & Spiritus sancti ✠ vt exeas, & recedas ab hoc famulo Dei N. Ipse enim tibi imperat, maledicte, damnate, qui pedibus super mare ambulauit, & Petro mergenti dexteram porrexit.

Ergo maledicte diabole, recognosce sententiam tuam, & da honorem Deo viuo & vero, da honorem IESV Christo Filio eius, & Spiritui Sancto, & recede ab hoc famulo Dei. N. quia istum sibi Deus & Dominus noster IESVS Christus ad suam sanctam gratiam & benedictionem, fontemque Baptismatis vocare dignatus est.

Hic pollice in fronte signat infantem dicens.

Et hoc signũ sanctæ Crucis ✠ quod nos fronti eius damus, tu maledicte diabole nunquam audeas violare. Per eundem Christum Dominum nostrum ℟ Amen.

Mox imponit manum super caput infantis, & dicit.

## OREMVS.

ÆTernam ac iustissimam pietatem tuam, deprecor, Domine sancte Pater omnipotens, æterne Deus, auctor luminis & veritatis, super hunc famulum tuum N. vt digneris eum, illuminare intelligentiæ tuæ: munda eum & sanctifica: da ei scientiam veram, vt dignus gratia Baptismi tui effectus, teneat firmam spem, consilium rectum, doctrinam sanctam. Per Christum Dominũ nostrum, ℟. Amen.

Postea Sacerdos imponit extremam partem stolæ super infantem, & introducit eum in Ecclesiam dicens.

N Ingredere in Templum Dei, vt habeas partem cum Christo in vitam æternam, ℟ Amen.

Cum

Cùm fuerint Ecclesiam ingressi, Sacerdos procedens ad Fontem cum Susceptoribus clarà voce dicit.

Credo in Deum, (integrum) & Pater noster. &c.

Ac deinde, antequam accedat ad Baptisterium dicat.

## EXORCISMVS.

Exorcizo te omnis spirit⁹ immunde, In nomine Dei Patris Omnipotentis, ✠ & in nomine IEsv Christi filij eius Domini & Iudicis nostri, ✠ & in virtute Spiritus sancti, ✠ vt discedas ab hoc plasmate Dei N. quod Dominus noster ad templum sanctum suum vocare dignatus est, vt fiat templum Dei viui, & Spiritus sanctus habitet in eo, Per eundem Christum Dominum nostrum, qui venturus est iudicare viuos

& mortuos, & ſæculũ per ignem, ℟. A.

Poſteà Sacerdos digito accipiat de ſaliua oris ſui, & tangat aures & nares infantis: tangendo verò aurem dexteram, & ſiniſtram dicat.

Ephpheta, quod eſt Adaperire.

Deindè tangat nares, dicens.

In odorem ſuauitatis. Tu autem effugare diabole, appropinquabit enim Iudicium Dei.

Poſtea interrogat baptizandũ nominatim dicens.

| | | |
|---|---|---|
| N. Abrenuntias Satanæ? Odrzekaß sie duchá złe- (go: Wider ſageſtu den Teuffel: | Reſpon. Patrini. | Abrenuntio. Odrzekám. Jch wieder ſage. |

Sacerdos rurſus interroget.

| | | |
|---|---|---|
| Et omnibus operibus eius? Y wßytkich ſpraw iego: Vnnd allen ſeinen wercken: | Reſpon: Patrini. | Abrenuntio. Odrzekám. Jch wieder ſage. |

## SACERDOS.

Et omnibus pompis eius? — Respon: Patrini: — Abrenuntio.
A wßelkiey pychy iego?? — Respon: Patrini: — Odrzekám.
Vnnd aller seiner hoffart? — Respon: Patrini: — Ich wieder sage.

Deinde Sacerdos intingit pollicem in Oleo Catechumenorum, & infantem vngit in pectore, & inter scapulas in modum Crucis dicens.

Ego te linio ✠ Oleo salutis in Christo IEsv Domino nostro, vt habeas vitam æternam. Amen.

Hic deponit stolam violaceam & sumit albam albi coloris.

Subinde pollicem & inuncta loca abstergit bombacio vel re simili, & interrogat expresso nomine baptizandum, Patrino respondente:

N. Credis in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ
℟. Credo.

N. Wierzysz w Bogá Oycá wszechmogącego/ stworzićiela niebá y ziemie? ℟. wierzę.

N. Glaubstu an Gott den Vatter Allmächtigen/ Schöpffer Himmels vnd der Erden? ℟. Ich glaub.

SACERDOS.

Credis in IESVM Christum Filium eius vnicum Dominum nostrum, natum & passum? ℟. Credo.

Wierzysz w Jezusá Christusá syná iego iedinego/ Páná nászego, národzonego/ y vmęczonego? ℟. Wierzę.

Glaubestu an Jesum Christum seinen einigen Sohn/ vnsern Herren/ der geboren/ gelitten? ℟. Ich glaub.

SACERDOS.

Credis in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, Carnis resurrectionem, vitam æternam? ℟. Credo.

Wierzyß w Ducha świętego/ święty kościoł powßechny/ świętych obcowanie/ grzechow odpuszczenie/ Ciáłá zmartwychstanie/ zywot wieczny. ℟. Wierzę.

Glaubstu an den Heiligen Geist/ eine heilige Allgemeine Christliche Kirche/ die gemeinschafft der Heiligen/ vergebung der Sünden/ aufferstehung des Fleisches/ vnnd ein ewiges leben. ℟. Ich glaube.

Subinde expresso nomine baptizandi.

Sacerdos dicit.

| | | |
|---|---|---|
| N. Vis baptizari? | Respon. Patrin. | Volo. |
| Chceß bydź ochrzczon? | | Chcę. |
| Wilstu getaufft werden? | | Ja ich wil. |

Tunc Patrino, vel Matrina, vel vtroque (si ambo admittantur) Infantem tenente, Sacerdos vasculo, seu vrceolo accipit aquam baptismalem, & de ea ter fundit super caput Infantis in modum Crucis, & simul verba proferens, semel tantùm distinctè & attentè dicit.

N. Ego te baptizo in nomine Patris ✠ *fundat primò*) & Filij ✠ (*fundat ſecundò*) & Spiritus ſancti ✠ (*fundat tertiò.*)

Mox Patrinus, vel Matrina vel vterque ſimul infantem de ſacro Fonte leuant ſuſcipientes illum, de manu Sacerdotis. Si verò dubitatur, an infans fuerit baptizatus, vtatur hac forma.

N. Si non es baptizatus ego te baptizo in nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus ✠ ſancti.

Deinde intingit pollicem in ſacro Chriſmate, & vngit Infantem in ſummitate capitis in modum Crucis, dicens.

DEvs Omnipotens, Pater Domini noſtri IEsv Chriſti, qui te regenerauit ex aqua & Spiritu ſancto, quiquè dedit tibi remiſsionem omnium peccatorum (*Hic inungit*) ipſe te liniat Chriſmate ſalutis ✠ in eodem Chriſto

IEsv

IESV Domino noſtro in vitam æternam, ℟ Amen.

SACERDOS.

Pax tibi ℟ Et cum Spiritu tuo.

Tum bombacio aut re ſimili abſtergit pollicem ſuum, & locum iniunctum: & imponit capiti eius linteolum candidum loco veſtis albæ dicens.

Accipe veſtem candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal Domini noſtri IEsv Chriſti, vt habeas vitam æternam, Amen.

Poſtea dat ei, vel Patrino candelam accenſam, dicens.

Accipe lampadem ardentem, & irreprehenſibilis cuſtodi Baptiſmum tuum: ſerua Dei mandata, vt cum Dominus venerit ad nuptias, poſsis occurrere ei vnâ cum omnibus Sanctis in aula cæleſti, habeaſque vitam æternam,

& viuas in sæcula sæculorũ, ℟ Amen.

Postremo dicit.

N. Vade in pace, & Dominus sit tecum. ℟ Amen.

Si verò fuerint plures baptisandi, siue masculi siue fæminæ, in Catechismo masculi statuantur ad dexteram, fæminæ verò ad sinistram, & omnia pariter dicantur vt supra in proprio genere, & numero plurali. Verùm prima nominis interrogatio, exsufflatio, Crucis impressio, seu signatio, tactus aurium & narium cum saliua, abrenunciationis interrogatio, vnctio Olei Catechumenorum, interrogatio de Fide seu Symbolo, & ipse Baptismus, inunctio Chrismatis, candidæ vestis imposito, atque accensæ candelæ traditio, singulariter singulis, & primùm masculis, deinde fæminis fieri debent.

Si infans ægrotus adeò grauiter laboret, vt periculum immineat ne pereat, antequam Baptismus perficiatur, Sacerdos omissis, quæ Baptismum præcedunt, eum baptiset, ter vel etiam semel infundens aquam super caput eius, in modum Crucis dicens.

Ego Baptiso &c. vt supra.

Si non habeatur aqua baptiſmalis, & periculum immineat, Sacerdos vtatur aqua ſimplici.

Deinde ſi habeat Chriſma, liniat eum in vertice dicens.

DEvs Omnipotens, Pater Domini noſtri. &c.

Poſtea dat ei linteolum, dicens.

Accipe veſtem, &c.

Ac demum dat ei ceream candelam accenſam, dicens.

Accipe lampadem, &c.

Si ſuperuixerit, ſuppleantur alij ritus omiſſi.

Admonendi ſunt ſuſceptores de Spirituali cognatione, quam contraxerunt cum baptiſato, baptiſatique patre & matre, quæ cognatio impedit matrimonium, ac dirimit.

Curet Parochus parentes infantis admoneri, ne in lecto ſecum ipſi vel nutrices paruulum habeant, propter oppreſſionis periculum, ſed eum diligenter cuſtodiant, & opportunè ad Chriſtianam diſciplinam inſtituant.

Commonendi ſunt etiam parentes, & alij ſi opus fuerit, ne filios Hebræis, aliiſque infidelibus, vel hæreticis mulieribus, vllo modo lactandos aut nutriendos tradant.

Antequam infans ex Eccleſia aſportetur, aut ſuſceptores diſcedant, eorum nomina, & alia de adminiſtrato baptiſmo, ad præſcriptam formam (quæ eſt infra) in Baptiſmali libro Parochus accuratè deſcribat.

Adultorum baptiſmus, vbi commodè fieri poteſt, ad Epiſcopum diferatur, vt ſi illi placuerit, ab eo ſolenniùs conferatur, alioquin Parochus ipſe baptiſet ſtata cæremonia, qua hic non ponitur, quia rarè contingit: & poteſt haberi maior liber Agendorum, quo baptiſmum adultorum expediet.

# ORDO
## Supplendi omiſſa ſuper baptizatum.

CVm vrgente mortis periculo, vel alia cogente neceſſitate, ſiue paruulus ſiue adultus, ſacris precibus ac cæremoniis prætermiſſis, fuerit baptiſatus, vbi conualuerit, vel ceſſauerit periculum, & ad Eccleſiam delatus fuerit, omiſſa ſuppleantur: idemq; ordo ac ritus ſeruetur, qui in Baptiſmo paruulorum

siue adultorum præsctiptus est, excepto quod interrogatio, an velit baptisari, formaque baptismi, & ablutio, prætermittuntur, & quædam orationes & exorcismi suo quique loco immutati, vt infra dicuntur.

Sacerdos igitur, antequam immittat salem in os baptisati, manum super caput eius imponens dicit.

## OREMVS.

OMnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri IESV Christi, respicere dignare hunc famulum tuum N. quem dudum ad rudimenta fidei vocare dignatus es, omnem cæcitatem cordis ab eo repelle, disrumpe omnes laqueos sathanæ, quibus fuerat colligatus: aperi ei Domine ianuam pietatis tuæ, vt signo sapientiæ tuæ imbutus, omnium cupiditatum fætoribus careat, & ad suauem odorē præceptorum tuorum lætus tibi in Ecclesia tua

deſeruiat, & proficiat de die in diem, vt idoneus ſit frui gratiâ baptiſmi tui: quem ſuſcepit, ſalis percepta medicina. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, *Reſp.* Amen.

*(Deinde poſteaquam modicum ſalis immiſit in os baptiſati dicit* Accipe ſalem ſapientiæ, propitiatio ſit tibi in vitam æternam, *Reſp.* Amen.

## OREMVS.

DEvs Patrum noſtrorū, DEvs vniuerſæ Conditor veritatis, te ſupplices exoramus vt hunc famulum tuum N. reſpicere digneris propitius, vt hoc pabulum ſalis guſtantem, non diutiùs eſurire permittas, quò minùs cibo expleatur cœleſti, quatenus ſit ſemper ſpiritu feruens, ſpe gaudens, tuo ſemper nomini ſeruiens, & quem ad nouæ regenerationis lauacrum perdu-

xisti, quæsumus Domine, vt eum fidelibus tuis promissionum tuarum, æterna præmia consequi mereatur, Per Christum Dominũ nostrum. *Resp.* Am.

*Post hæc, facto signo crucis in fronte baptisati, dicit.*

Et hoc signum ✠ quod nos fronti eius damus, tu maledicte diabole, nunquam audeas violare. Per eundem Christum Dominũ nostrum, *Resp.* Am.

*Manu super caput eius imposita, dicit.*

OREMVS.

ÆTernam ac iustissimam pietatem tuam deprecor Domine Sancte Pater omnipotens, æterne Deus, auctor luminis & veritatis, super hunc famulum tuum N. vt digneris eum illuminare lumine intelligentiæ

tuæ, munda eum & sanctifica, da ei scientiam veram, vt dignus sit frui gratiâ baptismi tui, quem suscepit, teneat firmam spem, consilium rectum, doctrinam sanctam, vt aptus sit ad retinendam gratiam baptismi tui. Per Christū Dominū nostrum, Resp. Amen.

## FORMA INSCRIBENDI Baptisatos ex Rituli Romano.

Anno Domini Die Mensis Ego N. Sacerdos huius Ecclesiæ S. N. Ciuitatis vel loci N. baptisaui infantem die N. natū ex N. & N. coniugibus huius Parochiæ, vel S. N. & ex tali patria & familia, cui impositum est nomen N. Patrini fuerunt N. Filius N. ex Parochia seu loco N. & N. coniux N. filia N. ex Parochia seu loco N.

# ORDO MINISTRANDI

## Sacramentum Pœnitentiæ.

SACERDOS ad audiendum confessionem vocatus, promptum facilemque se præbeat: ac priusquam ad audiendum accedat, si tempus suppetat, ad hoc ministerium rectè sanctèque obeundum, Diuinū auxilium piis precibus implorabit.

In Ecclesia, non autem in priuatis ædibus confessiones audiat, nisi ex causa rationabili, quæ cum inciderit, studeat tamen id decenti ac patenti loco præstare.

Habeat in Ecclesia sedem confessionalem, quæ patenti loco posita crate perforata inter pœnitentem, & Sacerdotem sit instructa.

Superpelliceo & stola violacei coloris vtatur, prout tempus, vel locorum feret consuetudo.

Pœnitens si opus fuerit, admoneatur, vt quâ decet humilitate mentis & habitus accedat, flexis genibus, signo Crucis semuniat. Tum Pœnitens Confessionem Generalem dicet. Confiteor & tibi Pater.

Mox confessarius inquirat de statu illius, quàm pridem sit confessus, an pœnitentiam impositam adimpleuerit, num ritè alias confessus fuerit, num conscientiam suam vt debet, priùs diligenter discusserit?

Si vero confessarius, cognouerit pœnitentem ignorare Christianæ fidei rudimenta: si tempus suppetat, eum breuiter instruat de articulo fidei, & aliis ad salutem cognitu necessariis, illumque admoneat, vt ea postea addiscat diligentius.

Si pœnitens numerum & species, & circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum sacerdos prudenter interroget.

Pœnitentem Sacerdos in confessione quotiescunque opus fuerit adiuuabit, nec reprehendet eum, nisi finita confessionè: neque interpellabit, nisi opus fuerit aliquid melius intelligere. proinde ei fiduciam præbeat, humaniter suggerat, vt omnia peccata ritè & integrè confiteatur, & caueat, ne curiosis aut inutilibus interrogationibus quenquam detineat, præsertim iuniores vtriusque sexus, vel alios de eo, quod ignorant imprudenter interrogans, ne scandalum patiantur, indeque peccata addiscant.

Demum audita Confessione, perpendens pec-

catorum, quæ ille admiſit, magnitudinem ac multitudinem, pro eorum grauitate, ac pœnitentis cõditione opportunas correptiones ac monitiones, prout opus eſſe viderit paternâ charitate adhibebit: & ad dolorem & contritionem, efficacibus verbis adducere conabitur, atque ad vitam emendandam inducet, remediaque peccatorum tradet. poſtremò ſalutarem & conuenientem ſatisfactionem iniungat, habita ratione ſtatus, conditioniis, ſexus, ætatis, & item diſpoſitionis pœnitentium. Id vero ante oculos habeat, vt ſatisfactio non ſit tantum ad nouæ vitæ remedium, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum caſtigationem.

Pœnitentias pecuniarias ſibiipſis Confeſſarij non applicent: neque à pœnitentibus quicquam tanquam miniſterij ſui præmium petant, vel accipiant; pro peccatis occultis, quantumuis grauibus manifeſtam pœnitentiam imponant.

Videat diligenter Sacerdos, quando, & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda ſit abſolutio, ne abſoluat eos, qui talis beneficij ſunt incapaces: quales ſunt, qui nulla dant ſigna doloris, qui odia & inimicitias deponere, aut aliena, ſi poſſunt reſtituere, aut proximam occaſionem peccandi deſere-

re: aut alio modo peccata derelinquere, & vitam in melius emendare nolunt, aut qui ſcandalum publicum dederunt, niſi publicè ſatisfaciant, & ſcandalum tollant, neque etiam eos abſoluat, quorum peccata ſunt ſuperioribus reſeruata.

## ABSOLVTIONIS FORMA.

Cùm igitur Pœnitentem abſoluere voluerit, iniuncta ei priùs & ab eo acceptata ſalutari pœnitentia, primò dicit.

Miſereatur tui Omnipotens DEVS, & dimiſsis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam, Amen.

Deinde dextera versùs Pœnitentem eleuata dicit.

Indulgentiam, abſolutionem, & remiſsionem peccatorum tuorum, tribuat tibi omnipotens & miſericors Dominus, Amen.

Dominus noſter IESVS Chriſtus te

abſo-

abſoluat, & ego auctoritate ipſius te abſoluo, ab omni vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, in quantùm poſſum, & tu indiges.

Deinde.

Ego te abſoluo à peccatis tuis, In nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus ✠ ſancti, Amen.

Si Pœnitens ſit laicus, omittitur verbum ſuſpenſionis.

Paſsio Domini noſtri IESV Chriſti, merita Beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, & mali ſuſtinueris, ſint tibi in remiſsionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ, Amen.

In Confeſſionibus autem frequentioribus, & breuioribus, omitti poterit. Miſereatur &c.

*Satis erit dicere.* Dominus noſter IESVS Chriſtus &c. *vt ſupra: vſq; ad illud.* Paſſio Domini &c.

Vrgente verò graui aliqua neceſſitate, in periculo mortis, breuiter dicere poterit.

Ego te abſoluo ab omnibus cenſuris & peccatis: In nomine Patris. &c.

## DE SACRAMENTO MATRIMONII.

PArochus admonitus de aliquo Matrimonio in ſua Parochia contrahendo, primùm cognoſcat ex his, ad quos ſpectat, qui & quales ſint qui matrimonium contrahere volunt: an inter eos ſit aliquod Canonicum impedimentum, vtrum ſponte, liberè, & ſecundùm honeſtatem Sacramenti velint contrahere, vtrum ſint in ætate legitima, vt vir ſaltim quatuordecim, mulier vero duodecim annos expleuerit, & vterque ſciat rudimenta fidei, cùm ea deinde filios ſuos docere debeant.

Antequam Matrimonium contrahatur, ter à pro

prio contrahentium Parocho, continuis diebus festis, in Ecclesia, inter missarum solennia, ad ipsius Concilij præsctiptum, publicè denuncietur, inter quos matrimonium sit contrahendum.

Si verò vir & mulier Parochiæ sint diuersæ. in vtraque Parochia fiant denuntiationes: quibus denuntiationibus factis, si nullum impedimentum legitimum opponatur, ad celebrationem Matrimonij procedatur, sed si quid obstat, vltra Parochus non procedat.

Admoneantur coniuges, vt antequam contrahant sua peccata diligenter confiteantur, & ad sanctissimâ Eucharistiâ, adq; adMatrimonij Sacramentum suscipiendum piè accedant. Et quomodo in eo rectè & Christianè, conseruari debeant, diligenter instruantur ex Diuina scriptura, exemplo Tobiæ & Saræ, verbisque Angeli Raphaëlis eos edocentis, quâm sanctè cõiuges debeant conuenire.

# RITVS CELEBRANDI MATRIMONIVM

PArochus igitur Matrimonium celebraturus, superpelliceo & stola in Ecclesia alba indutus, adhibito vno saltim Clerico superpelliceo pa-

riter induto, qui librum & vas aquæ benedictæ cum aſperſorio deferat, coram tribus aut duobus teſtib⁹, virum & mulierem, quos parentum vel propinquorum ſuorum præſentia cohoneſtari decet, moneat de dignitate ac fructu huius Sacramenti, de officiis coniugum, idque breuiter & cum facilitate ſermonis, &ad ædificationem audientium.

Statuat Sponſum ad dexteram ſuam, Sponſam ad ſiniſtram, vt è regione ſe aſpiciant ad inuicem, & quærat de nomine Sponſi & Sponſæ, hoc modo, priùs verſiculo præmiſſo.

*Verſ.* Adiutorium noſtrum in nomine Domini.

*Reſp.* Qui fecit cælum & terram.

Polonicé.

N. Maß dobrą á nie przymußoną wolą / y poſtanowiony vmyſł / te N którą tu przed ſobą widźiß / zá małżonkę ſobie poiąc *Reſp.* Mam.

N. Nie ślubowałżeś ktorey inßey / wiáry małżeńſkiey ? *Reſp.* Nieślubowałem.

Germanicé.

N. Ist es nun dein freyer / vngedrungner/ oder vngenötigter Wille vnd deine wolbedachte meinung diese. N. hie gegenwertige / für dein Eheliches Weib anzunehmen? Resp. Ja.

N. Hastu auch einer andern deine Eheliche Trew zugesagt? Resp. Nein.

Deinde similiter interrogat Sponsam.

Tákze y ty. N. Masz tez dobrą á nie przymuszoną wolą/ tego N. ktorego przed sobą widzisz/ zá małzonka sobie poiąc? Resp. Mam.

Nie slubowáłázes komu innemu wiáry małzenskiey? Resp. Nie slubowáłá.

Germanicè.

N. Ist es auch dein vngedrungner oder vngenötigter Wille / vnd deine wolbedachte Meinunge / diesen N. hier gegenwertig für deinen Ehelichen Mann anzunemen? Resp. Já.

N. Hastu auch einem andern dein Eheliche Trew zu gesagt? Resp. Nein.

Vtroque illud affirmante, hoc verò negante, dicat Sacerdos:

Augeat

Augeat in vobis DEVS gratiam ſuam, & quod dicitis ore, opere impleatis, Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Accipiat annulos Sponſorum, vel ſerta in defectu, & tenendo ea ſimul, benedicat ſic:

# OREMVS.

CReator & cōſeruator generis humani, dator gratiæ Spiritualis, conditor æternæ ſalutis: quæſumus benedicere: ✠ digneris hos annulos *vel hæc ſerta* quos (*vel*) *quæ* nos in nomine tuo ſancto benedicimus, vt qui eos, (*ea*) portauerint, in tua pace conſiſtant, in tua voluntate permaneant, & in tuo amore viuant, creſcant, & ſeneſcant, atq; multiplicentur in longitudinem dierū. Per Dominū noſtrū IESVM Chriſtum &c. *Reſpon.* Amen.

Mox aspergit annulum aquâ benedictâ in modum crucis. Deinde annulum sponsæ imponat in digitum dextrum penultimum sponsi, & è conuerso. Similiter & coronas commutando, dicit Sacerdos sigillatim vtrique.

Accipe annulum (*coronam*) fidei matrimonialis, in nomine Sanctissimæ Trinitatis, vt illum (*illam*) portans, armeris virtute cœlestis defensionis, & proficiat tibi ad salutem æternam.

Postea iubeat illos iungere dextras, quas Minister inuoluat extremitate stolæ, in formam crucis, & verba sequentia de præsenti, quæ Matrimonium constituunt, iubeat singulos eorum, sepræeunte, integrè, & clarè dicere.

Postea ergo dicat sponso. Mow zámna.

Ja N. biorę sobie ćiebie N. zá małżonkę y ślubuieć miłość / wiárę / y vczćiwość małżeńską: á iż ćienie opuszczę / áż do śmierći. Ták mi pomoż Pánie Boże wszechmogący / w Troycy iedyny / y wszyscy święci.

Similiter iubeat dicere Sponsam. Mow zamna.

Ja N. biore sobie ciebie N zá małżonká: y ślubuię miłość/ wiarę/ vczćiwość y posłuszeństwo małżeńskie: á iż ćię nie opuszczę/ áż do śmierci. Ták mi pomoż Boże wszechmogacy/ w Troycy iediny/ y wszyscy święci.

Germanicè

( Sprich mir nach ) Jch N. nechme dich N mir zum Ehelichen Weib/vnnd gelobe dir/Lieb Trew vnd Ehre/ dich auch nicht zuverlassen biß das vns der Todt scheidet /so war als mir Gott helffe/ vnd alle seine liebe Heiligen.

Deinde Sponsæ dicat.

Jch N. nehme dich N. mir zum Ehelichen Mann/ vnd gelobe dir/Liebe / Trew/Ehre/vnd gebürlichen Gehorsamb / dich auch nicht zuverlassen / biß das vns der Todt scheidet/ so war als mir Gott helffe / vnd alle seine liebe Heiligen.

Alloquatur astantes Sacerdos sic vel similiter.

Polonicè.

Was/ ktorzy sie temu przysłuchaćie / biore na świadectwo/ieśliby go kiedy było potrzeba/ ábyśćie ie o dobrowolnym/ y porządnym tego małżeństwa skończeniu wydali.

Germanicè.

Ihr all die hier gegenwertig seyd/neme ich an/ zum zeugnüß auff das/so es etwan von nöten würde/ ihr zeugen sein möcht das/ diese gegenwertige Ehe/zwischen diesen personen/volkomlich/ vollzogen/vnd von der Kirchen/bestetiget sey worden.

Postea Sacerdos matrimonium confirmando, & insuper si sunt bigami, & in prioribus nuptiis benedictionem acceperunt.

(*Dicat*) Quos ergo Dᴠs coniunxit, homo non separet. Et ideò matrimonium inter vos contractum, ego auctoritate Ecclesiæ Catholicæ con-

firmo & ratifico, In nomine ✠ Patris & ✠ Filij & Spiritus ✠ Sancti, Amen

Si autem vterque vel sola Sponsa in prioribus nuptiis non erat benedicta, dicat sic.

Quos ergo DEvs coniunxit, homo non separet. Et ideo matrimonium inter vos contractum, ego auctoritate Ecclesiæ Catholicæ confirmo & benedico, In nomine Pa✠tris & Filij, ✠ & Spiritus ✠ sancti, Amen.

Iubeat desponsatos ad altare conuersos genua flectere, dicendo super illos.

## OREMVS.

PRopitiare quæsumus Domine, supplicationibus nostris, & institutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinasti, benignus assiste: vt quod te auctore coniunctum est, te auxilian-

te seruetur. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Et benedictio Dei Omnipotentis Pa✠tris, & Filij, ✠ & Spiritus ✠ Sancti, descendat super vos, & maneat semper, Amen.

Caueat Parochus, ne quando coniuges in primis nuptiis benedictionem acceperint, eos in secundis benedicat, siue mulier siue etiam vir ad secundas nuptias transeat. Sed vbi ea viget consuetudo, vt si mulier nemini, vnquam nupserit, etiamsi vir aliam vxorem habuerit, nuptiæ benedicantur, conseruanda est. Sed viduæ nuptias non benedicat, etiamsi eius vir nunquam vxorẽ duxerit.

Benedictio nuptiarum Canonica fit in Missa, de Sponso & Sponsa ritu, in Missali Romano descripto. Quod si talis Missa non præcessit, & suscipientes affectant talem benedictionem, perficiat illam Sacerdos hoc modo. Absoluta præterita Oratione.

Propitiare quæsumus &c. vsque ad initium. Et benedictio Dei &c.

Dicat Psalmum.

BEati omnes qui timent Dominum: qui ambulant in viis eius. Labores manuum tuarum, quia manducabis: beatus es, & benè tibi erit. Vxor tua sicut vitis abundans: in lateribus domus tuæ. Filij tui, sicut nouellæ oliuarum: in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic benedicetur homo: qui timet Dominum. Benedicat tibi Domin⁹ ex Sion, & videas bona Hierusalem: omnibus diebus vitæ tuæ. Et videas filios filiorum tuorum: pacem super Israël. Gloria Patri, &c. Sicut erat &c.

Deinde versum.

*Vers.* Saluos fac seruum & ancillam tuã

*Resp.* Deus meus sperantes in te.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEvs, qui primos parentes noſtros, pia ſocietate copulaſti: benedic & ſanctifica iſtos tui Sacramenti fœdere deſponſatos, & ſemina in eis ſemen vitæ æternæ. Corda eorum tui ſancti Spiritus munda infuſione, & ſinceri amoris copules nexu perpetuo. Angelo pacis comitante eos à mortifera Dæmonum infeſtatione cuſtodias: & omnes mentis & corporis aduerſitates ab eis repellas: vt munimine tuo protecti, & te donante, deuotè laudent nomen ſanctum tuum, quod eſt benedictum in ſecula ſeculorum, Amen.

Oremus.

DEvs Abraham, DEvs Iſaac, & DEvs Iacob ſit vobiſcum: & ipſe adimpleat benedictionem ſuam in vobis, vt videatis filios filiorum veſtrorum, vſq;

in tertiam & quartam generationem, & poſtea vitam æternam habeatis ſine fine, in ſecula ſeculorum. Amen.

Demum concludat vt ſupra.

Et benedictio Dei omnipotentis. &c.

Nomina Sponſorum, Teſtium: Annus & dies notentur.

Forma ſcribendi Coniugatos in libro.

ANno die menſis denunciationib⁹ præmiſsis trib⁹ continuis diebus Feſtiuis, quarum prima die ſecunda die tertia die inter Miſſæ Parochialis ſolemnia habita eſt, nulloque legitimo impedimento detecto, ego N. Rector huius Eccleſiæ Parochialis N. Ciuitatis, vel loci N. filium N. Parochiæ S N. & N. filiam N. ſeu relictam N. ( ſi vidua fuerit ) huius ſeu Parochiæ S. N. in Eccleſia N. in-

terrogaui, eorumque mutuo consensu habito, solemniter per verba de præsenti Matrimonio coniunxi, præsentibus testibus notis N. filio N. qui habitat in Parochia S. N. & filio N. &c. N. &c. postea eis ex ritu sanctæ Matris Ecclesiæ (Si tamen nuptias benedixerit) in Missæ celebratione benedixi,

Forma denuntiationes faciendi in templo.

Inter Missarum solemnia Parochus populum admoneat, diuersis continuis tribus diebus festiuis, in hanc sententiam vulgari sermone.

NOtum sit omnibus his præsentibus, quod N. vir, & N. mulier, ex tali vel tali familia, & Parochia, Deo adiuuante intendunt inter se contrahere Matrimonium. Proinde admonemus omnes & singulos, vt si quis nouerit

aliquod cōſanguinitatis, vel affinitatis aut cognationis ſpiritualis, vel quoduis aliud impedimentum inter eos eſſe, quod Matrimonium contrahendum inuicèm impediat, illud quàmprimū nobis denunciare debeat, & hoc admonemus primò *ſi fuerit prima;* vel ſecundò, *ſi fuerit ſecunda,* vel tertiò *ſi fuerit tertia denunciatio.*

# MODVS

## INTRODVCENDI MVLIEREM

## In Eccleſiam, poſt conſummatum Matrimonium.

Sacerdos ſuperpelliceo & ſtola indutus, muliere Eccleſiam ingreſſa, quam tamen ipſe per tactum ſtolæ non introducat, det ei benedictionem ante altare ſi voluerit, poſt vel ante auditam Miſſam, ſi ea celebrata fuerit.

*Verſ.* Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
*Reſp.* Qui fecit cælum & terram.

PSALMVS.

DEvs miſereatur noſtri & benedicat nobis: illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri. Vt cognoſcamus interra viam tuam:in omnibus gentibus ſalutare tuum. Confiteantur tibi populi DEvs: confiteantur tibi populi omnes. Lætentur & exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate: & gentes in terra dirigis. Confiteantur tibi populi DEvs, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructũ ſuũ. Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos DEvs: & metuant eum omnes fines terræ, Gloria Patri &c. Sicut erat. &c.

Deinde dicat Pſalmum.

Beati omnes qui timent Dominum. *vt ſupra fol. 46.*

Poſtea iubeat fœminam cum ſociis, ſi adſunt, genuflectere, & ipſe ſtans dicat:

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon. Pater noſter, &c.

*Verſ.* Et ne nos inducas in tentationē
*Reſp.* Sed libera nos à malo.
*Verſ.* Saluam fac ancillam tuam.
*Reſp.* DEvs meus ſperantem in te.
*Verſ.* Nihil proficiat inimicus in ea.
*Reſp.* Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
*Verſ.* Eſto ei Domine turris fortitudinis.
*Reſp.* A facie inimici.
*Verſ.* Domine exaudi orationem meā.
*Reſp.* Et clamor meus ad te veniat.
*Verſ.* Dominus vobiſcum.
*Reſp.* Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

PRætende Domine famulæ tuæ dexteram cœlestis auxilij, vt te toto corde perquirat, & quæ dignè postulat, consequi mereatur. Per Dominum nostrum, &c.

Oremus.

OMnipotens sempiterne DEvs, creator cœli & terræ, qui omnia de nihilo creâsti, quiq; Adam protoplastũ de limo terræ formasti, & Euam illi in adiutorium dedisti, eisque benedixisti, dicens, crescite & multiplicamini, & replete terram. Ne respicias ad peccata nostra, sed ad fidem Ecclesiæ tuæ: Et bene ✠ dicere digneris hanc famulam tuam, vna cum marito suo: Et da ei fœcunditatem sobolis, atque de rore cœli, & de pinguedine

terræ abundantiam. Benedic eis, tam in domibus, quàm in agris, & vbique in iumentis & pecoribus, omniq; possessione, & re familiari. Et tandem omni pietate, castitate, & morum honestate ornatos, in timore tuo, perduc eos ad vitam æternam. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Et benedictio Dei omnipotentis, Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus sancti, ✠ descendat super te, & maneat semper. *Resp.* Amen.

Postremò aspergens illam aquâ benedicta, dicat:

Per huius aquæ aspersionem, det tibi Dominus gratiam & benedictionem.

Quæ surgens offerat Sacerdoti quod sibi placet, & reuertatur domum in pace,

# DE BENEDICTIONE

## MVLIERIS POST PARTVM.

SI qua puerpera post partum iuxta piam ac laudabilem consuetudinem ad Ecclesiam venire voluerit pro incolumitate sua Deo gratias actura, petieritque à Sacerdote benedictionem, ipse superpelliceo & stola albâ indutus, cum ministro aspergillum deferente ad fores Ecclesiæ accedat, vbi illam foris ad limina genuflectentem, & candelam accensam in manu tenentem, aquâ benedictâ aspergat, deinde dicat:

*Vers.* Adiutorium nostrum in nomine Domini.

*Resp.* Qui fecit cœlum & terram.

*Antiphona* Hæc accipiet benedictionem à Domino.

PSALMVS.

DOmini est terra & plenitudo eius: orbis terrarum, & vniuersi qui ha-

bitant in eo. Quia ipſe ſuper maria fundauit eum: & ſuper flumina præparauit eum. Quis aſcendet in montem Domini aut quis ſtabit in loco ſancto eius. Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animã ſuam nec iurauit in dolo proximo ſuo. Hic accipiet benedictionem à Domino: & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo. Hæc eſt generatio quærentium eum: quærentium faciem Dei Iacob. Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. Attollite portas principes veſtras & eleuamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ. Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus virtutum, ipſe eſt Rex gloriæ. Gloria Patri & Filio. &c. Sicut erat. &c.

*Antiphona.*

Hæc accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo: quia hæc est generatio quærentium Domínum.

Deinde porrigens ad manum mulieris extremam partem stolæ, eam introducit in Ecclesiam dicens:

Ingredere in templum Dei, adora Filium Beatæ Mariæ Virginis, qui tibi fœcunditatem tribuit prolis.

Et ipsa ingressa genuflectit coram Altari, & orat, gratias agens Deo pro beneficiis sibi collatis: & Sacerdos dicit:

Kyrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison. Pater noster, &c.
secretò.

*Vers.* Et ne nos inducas in tentationẽ.
*Resp.* Sed libera nos à malo.

*Vers.* Saluã fac ancillam tuã Domine.
*Resp.* DEvs meus ſperantem in te.
*Vers.* Mitte ei Domine auxilium de ſancto.
*Resp.* Et de Sion tuere eam.
*Vers.* Nihil proficiat inimicus in ea.
*Resp.* Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
*Vers.* Domine exaudi orationem meã.
*Resp.* Et clamor meus ad te veniat.
*Vers.* Dominus vobiſcum.
*Resp.* Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEvs, qui per Beatæ Mariæ Virginis partum fidelium parientium dolores in gaudium vertiſti: reſpice propitius ſuper hanc famulam tuam, ad templum ſanctum tuum pro gratiarum actione lætam accedentem: & præſta, vt poſt

hanc vitam eiuſdem Beatæ Mariæ meritis & intercesſione, ad æternæ beatitudinis gaudia cum prole ſua perueni-re mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Deinde illam aſpergit Aqua benedicta, in modum Crucis dicens,

PAx & benedictio Dei omnipotentis, Patris, ✠ & Filij & Spiritus ſancti, deſcendat ſuper te, & maneat ſemper. Amen.

# De Sanctiſsimo EVCHARISTIÆ SACRAMENTO.

OMnibus quidem Eccleſiæ Catholicæ Sacramentis, religiosè, ſanctèque tractandis, magna ac diligens cura ad hibenda eſt: ſed præcipuè in adminiſtrando ac ſuſcipiendo Sanctiſsimæ Euchariſtiæ Sacramento, quo nihil dignius,, nihil

ctius, & admirabiliùs habet Ecclesia Dei; cùm in eo contineatur præcipuum & maximum Dei donum, & ipsemet omnis gratiæ & sanctitatis fons, auctorque Christus Dominus.

Parochus igitur summum studium in eo ponat, vt cùm ipse venerabile hoc Sacramentum, quâ decet reuerentiâ, debitoque cultu tractet, custodiat, & administret, tum etiam populus sibi commissus religiosè colat, sanctè, frequenterque suscipiat, præsertim in maioribus anni solennitatibus.

Ideò populum sæpiùs admonebit; quâ præparatione, & quantâ animi religione, ac pietate, & humili etiam corporis habitu, ad tàm Diuinum Sacramentum debeat accedere; vt præmissa Sacramentali confessione, omnes saltem à media nocte ieiuni & vtroque genu flexo Sacramentum humiliter adorent, ac reuerenter suscipiant, viri quantum fieri potest à mulieribus separati.

Moneantur præterea communicantes, vt sumpto Sacramento, non statim ab Ecclesia discedant, aut colloquantur, nec statim vagis oculis circumspiciant, aut exspuant, neque de libro statim orationes recitent, ne Sacramenti species de ore decidant: sed quá par est deuotione aliquantisper in oratione permaneant, gratias agentes Deo de tam singula-

ri beneficio, atque etiam de ſanctiſsima Paſsione Dominica, in cuius memoriam hoc myſterium celebratur, & ſumitur,

Curare porrò debet, vt perpetuò aliquot particulæ conſecratæ, eo numero, qui vſui infirmorum, & aliorum fidelium communioni ſatis eſſe poſsit, cõſeruentur in pixide, ex ſolida decentique materia, eaque munda, & ſuo operculo benè clauſa, albo velo coopertâ, & quantum res feret ornata, in tabernaculo claue obſerato.

Hoc autem tabernaculum conopæo decenter opertum, atque ab omni alia re vacuum in altari maiori, vel in alio, quod venerationi & cultui tanti Sacramenti commodiùs ac decentius videatúr, ſit collocatum: ita vt nullum aliis ſacris functionibus, aut Eccleſiaſticis officiis impedimentum afferatur. Lampades coram eo plures, vel ſaltem vna, diu noctuque perpetuò colluceat: curabitque Parochus, vt omnia ad ipſius Sacramenti cultum ordinata, integra, mundaque ſint & conſeruentur.

Sanctiſſimæ Euchariſtiæ particulas frequenter renouabit. Hoſtiæ verò ſeu particulæ conſecrandæ ſint recentes, & vbi eas conſecrauerit, veteres primo diſtribuat, vel ſumat.

Fideles omnes ad Sacram Communionem ad

mittendi sunt, exceptis iis, qui iusta ratione prohibentur. Arcendi autem sunt publicè indigni, quales sunt excommunicati, interdicti, manifestèque infames, vt meretrices, concubinarij, fœneratores, magi, sortilegi, blasphemi, & alij eius generis publici peccatores: nisi de eorum pœnitentia, & emendatione constet, & publico scandalo priùs satisfecerint.

Occultos verò peccatores, si occultè petant, & non eos emendatos agnouerit, repellat; non autem si publicè petant, & sine scandalo ipsos præterire nequeat.

Amentibus præterea, seu phreneticis, communicare non licet: licebit tamen, si quando habeant lucida interualla, & deuotïonem ostendant, dum in eo statu manent, si nullum indignitatis periculum adsit.

Iis etiam, qui propter ætatis imbecillitatem nondum huius Sacramenti cognitionem, & gustum habent, administrari non debet.

## Ordo ministrandi Sacram Communionem.

SAcerdos igitur Sanctissimam Eucharistiam ministraturus, hostiis, seu particulis pro populi multitu-

titudine consecratis, vasculoque vno, vel pluribus decenti & commodo modo expositis, cum vino & aqua, ad purificationem eorum, qui communionem sumpserint, & ante eos linteo mundo extenso, lotis prius manibus, & superpelliceo indutus, ac desuper stola coloris officio illius diei conuenientis, præcedente Clerico, seu alio ministro, procedit ad altare manibus iunctis, & accensis cereis: facta prius, & postea genuflexione, extrahit pixidem, & illam super corporale depositam discooperit. Minister genibus flexis, nomine populi ad cornu Epistolæ facit confessionem generalem dicens:

Confiteor Deo, &c.

Tum Sacerdos iterum genuflectit, & manibus iunctis ante pectus vertit se ad populum (aduertens ne terga vertat Sacramento) & in cornu Euangelij dicit.

Misereatur vestri, &c. & addit:

Indulgentiam, absolutionem, ✠ & remissionem peccatorum vestrorum, tribuat vobis omnipotens & misericors Dominus. *Resp.* Amen.

Dicens Indulgentiam, &c. manu dextra

in formam Crucis ſignat communicandos.

Deinde ad Altare ſe conuertit, genuflectit, manu ſiniſtrâ pixidem prehendit, & duobus digitis, pollice & indice Sacramentum accipit, & eleuat, conuerſuſque ad populum in medio altari, dicit clara voce:

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. mox ſubdit Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, & ſanabitur anima mea. quod iterum ac tertio repetit: quâ formulâ etiam vtendum eſt, cùm fœminæ communio miniſtratur.

Poſtea ad communicandum accedit, incipiens ab iis, qui ſunt ad partem Epiſtolæ: ſed primò ſi Sacerdotibus, vel aliis ex Clero danda ſit Communio, iis ad gradus altaris genuflexis præbeatur: vel ſi cōmodè fieri poteſt, intra ſepimentum altaris ſint à laicis diſtincti. Sacerdotes verò cum ſtola communicent.

Sacerdos vnicuique porrigens Sacramentū, & faciens cum eo ſignū Crucis ſuper pixidem ſimul dicit:

Cor-

Corpus Domini noſtri IEsv Chriſti, cuſtodiat animam tuam in vitam æternam. Amen.

Vbi verò omnes communicauerint, Sacerdos reuerſus ad altare, dicere poterit:

O ſacrum conuiuium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſſionis eius, mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.

*Verſ.* Panem de cœlo præſtitiſti eis.
Miniſter reſpondet: Omne delectamentũ in ſe habentem. Tempore Paſchali additur: Alleluia. Mox Sacerdos dicit.

*Verſ.* Domine exaudi orationem meã.
*Reſp.* Et clamor meus ad te veniat.
*Verſ.* Dominus vobiſcum.
*Reſp.* Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DEVS, qui nobis ſub Sacramento mi-

mirabili, paſsionis tuæ memoriam reliquiſti: tribue quæſumus, ita nos Corporis & Sanguinis tui ſacra myſteria venerari, vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter ſentiamus. Qui viuis & regnas, &c.

Tempore Paſchali dicitur Oratio.

SPiritum nobis, Domine, tuæ chāritatis infunde, vt quos Sacramentis Paſchalibus ſatiâſti, tuâ facias pietate cōcordes. Per ChriſtumDominum noſtrum. *Reſp.* Amen.

Antequam reponat ſacramentum, diligenter aduertet, vt ſi aliquod fragmentum digitis adhæſerit, illud in pixidem deponat; & eoſdem digitos, quibus tergit Sacramentum, abluat, & abſtergat purificatorio; ablutionem verò ſumat, ſi celebrauerit, aut iis qui tunc communicârunt, ſumendam tradat, aut ſaltem in ſacrarium iniiciat. Poſtea genuflectens reponit Sacramentum in tabernaculo, & claue obſerat. Deinde extentâ manu dextrâ benedicit iis, qui communicârunt, dicens:

Benedicto Dei omnipotentis Patris ✠ & Filij, & Spiritus sancti, descē-dat super vos, & maneat semper. *Resp.* Amen.

Communio autem populi intra Missam, statim post communionem Sacerdotis celebrantis fieri debet nisi, cùm Orationes, quæ in Missa post cōmunionem dicuntur, non solum ad Sacerdotem, sed etiam ad alios communicantes spectent.

Itaque Sacerdos sumpto Sacratissimo Sanguine, antequam se purificet, ponat particulas consecratas in pixide, vel si pauci sint communicandi, super patinam, nisi in principio positæ fuerint in pixide, & genu flectit, ministro interim faciente confessionē, vt suprà. Postea vertens se ad populum in cornu Euangelij dicit: Misereatur vestri, &c. & eo, quo suprà dictum est modo, porrigit communicandis Eucharistiam, incipiens à ministris altaris, si velint communicare. Finitâ communione, reuertitur ad altare nihil dicens, & non dat eis benedictionem, quia illam dabit in fine Missæ. Deinde dicit secretò: Quod ore sumpsimus, &c. vt in Missali: se purificat, & Missam absoluit. Quod si contingat, absoluta Missa, statim aliquos interdum

communicare, tunc Sacerdos adhuc planeta indutus, sacram communionem eo modo, quo suprà dictum est, ministrabit.

## De Communione Paschali.

CVret autem Parochus, vt in Quadragesima, per se, vel per alios Concionatores, populo opportunè denuncietur Constitutio Concilij Lateranen: sub Innocentio III. quæ sic habet.

*Omnis vtriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis peruenerit, omnia sua peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & iniunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere; suscipiens reuerenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi fortè de proprij Sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum: alioquin & viuens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christianâ careat sepulturâ.*

Vt igitur salutare Concilij decretum inuiolabiliter seruetur, descripta Parochus habeat nomina suorum Parochianorum; & qui dicto tempore non communicauerint, & post octauam Paschæ, eos, qui propriæ salutis immemores sæpiùs admoniti non obtempeTrarauerint, Ordinario suo denunciet.

Debit

Dabit quoque operam Parochus, quoad eius fieri potest, vt in ipso die sanctissimo Paschæ communicent: quo die ipse per se, nisi legitimè impediatur, Parochiæ suæ fidelibus hoc Sacramentum ministrabit. Alienæ verò Parochiæ fideles ad proprium Parochum remittet, præter peregrinos & aduenas, & qui certum domicilium non habent: quibus ipse sacram præbebit Communionem, si ad illum accesserint ritè parati, & vbi est ea consuetudo, eos ad Catedralis Ecclesiæ Parochos remittet. In cæteris verò seruabit ea, quæ in libro de statu animarum, vt infra, præscribuntur.

Ægrotis quoq; Parochialibus, etiamsi Communionē extra præscriptos Paschales dies sumpserint, in Paschalibus diebus illam deferret, ac ministrabit.

## De Communione infirmorum.

VIaticum Sacratissimi Corporis Domini nostri IESV Christi, summo studio ac diligentiâ ægrotantibus opportuno tempore procurandum est, ne fortè contingat illos tanto bono, Parochi incuriâ, priuatos decedere. Cauendum autem inprimis est, ne ad indignos cum aliorum scandalo deferatur: quales sunt publici vsurarij, concubinarij, notoriè criminosi, nominatim excommunicati, aut

denunciati; nisi sese priùs sacrâ Confeßione purgauerint, & publicæ offensioni, prout de iure, satis fecerint.

Hortetur Parochus infirmum, vel sacram Cōmunionem sumat, etiamsi grauiter non ægrotet, aut mortis periculum nō immineat, maximè si festi alicuius celebritas id suadeat, neque ipse illam ministrare recusabit.

Pro Viatico autem ministrabit, cùm probabile est, quod eam amplius sumere non poterit. Quod si æger sumpto Viatico dies aliquot vixerit, vel periculum mortis euaserit, & communicare voluerit, eius pio desiderio Parochus non deerit.

Potest quidem Viaticum breui morituris dari, nō ieiunis, id tamen diligenter curandū est, ne iis tribuatur, à quibus ob phrenesim, siue ob aßiduam tussim, aliumuè similem morbum, aliqua indecentia cum iniuria tanti Sacramenti timeri potest. Cæteris autem infirmis, qui ob deuotionem in ægritudine communicant, danda est Eucharistia ante omnem cibum & potum, non aliter ac cæteris fidelibus, quibus nec etiam per modū medicinæ ante aliquid sumere licet.

Sed alicui ad adorandum solùm, seu deuotionis, seu cuiusuis rei prætextu, ad ostendendum non deferatur

Defer-

Deferri autem debet hoc ſanctum Sacramentū, ab Eccleſia ad priuatas ægrotantium domos, decenti habitu, ſuperpoſito mundo velamine, manifeſtè, atque honorificè, ante pectus, cum omni reuerentia, & timore, ſemper lumine præcedente.

Parochus igitur proceſſurus ad communicandum infirmum, aliquot campanæ ictibus iubeat cōuocari Parochianos, ſeu Confraternitatem Sanctiſſimi Sacramenti ( vbi fuerit inſtituta ) ſeu alios pios Chriſtifideles, qui ſacram Euchariſtiam cum cereis, ſeu intortitiis comitentur, & vmbellam, ſeu baldachinum, vbi haberi poteſt, deferant.

Præmoneat, vt ægri cubiculum mundetur, & in eo paretur menſa linteo mundo cooperta, in quo Sanctiſſimum Sacramentum decenter deponatur.

Parentur luminaria, ac duo vaſcula, alterum cū vino, alterum cum aqua; præterea linteum mundum ante pectus communicandi ponatur, atque alia ad ornatum loci, pro cuiuſque facultate.

Vbi verò cōuenerint, qui Euchariſtiam comitaturi ſunt, Sacerdos indutus ſuperpelliceo, & ſtolà, & ſi haberi poteſt, pluuiali albi coloris, Acolytis, ſex Clericis, aut etiā Presbyteris, ( ſi locus ferret ) ſuperpelliceo pariter indutis, comitatus, decenter, & de more acceptas aliquot particulas cōſecratas, vel vnā tantùm ( ſi

longius aut difficilius iter sit faciendum ) ponat in pixide, seu parua custodia, quam proprio suo operculo cooperit, & velum sericum superimponit; ipse verò Sacerdos imposito sibi priùs ab vtroque humero oblongo velo decenti, vtraque manu accipiat vas cum Sacramento, & deinde vmbellam, seu baldachinum subeat, nudo capite processurus.

Præcedat semper Acolythus, vel alius minister deferens laternam, noctu autem hoc Sacramentũ deferri non debet, ( nisi necessitas vrgeat ) sequantur duo Clerici, vel qui illorum vices suppleant; quorum alter aquam benedictam cum aspersorio, & bursam cum Corporali, quod supponendum erit vasculo Sanctissimi Sacramenti super mensam in cubiculo infirmi, & cum linteolo purificatorio ad digitos Sacerdotis abstergendos; alter hunc librum Ritualem deferat, & campanulam iugiter pulset. Succedant deinde deferentes intortitia. Postremo Sacerdos Sacramentum gestans eleuatum ante pectus sub vmbella, dicens Psalmum Miserere, & alios Psalmos, & Cantica. Quod si longius aut difficilius iter obeundum sit, & fortasse etiam equitandum, necesse erit vas, in quo Sacramentum defertur, bursa decenter ornata, & ad collum appensa, aptè includere, & ita ad pectus alligare, atque obstrin-

gere, vt neque decidere, neque è pixide excuti Sacramentum queat.

Ingrediens verò locum, vbi iacet infirmus, dicat:

Pax huic domui.

*Resp.* Et omnibus habitantibus in ea.

Tum depositum Sacramentum super mensa supposito corporali, genuflexus adorat, omnibus in genua procumbentibus; & mox accepta aquâ benedictâ, aspergit infirmum, & cubiculum, dicens Antiphonam:

Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor. *& primum versum Psalmi,* Miserere mei DEvs. *cum* Gloria Patri &c. Sicut erat in principio, &c.

*Deinde repetitur Antiphona,*

Asperges me, &c. *Postea*

*Vers.* Adiutoriū nostrū in nomine Domini.

*Resp.* Qui fecit cœlum & terrā.

*Verſ.* Domine exaudi orationem meã.
*Reſp.* Et clamor meus ad te veniat.
*Verſ.* Dominus vobiſcum.
*Reſp.* Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

EXaudi nos Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne DEvs, & mittere digneris ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui cuſtodiat, foueat, protegat, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Reſp.* Amen.

His dictis, accedat ad infirmum, vt cognoſcat, num ſit benè diſpoſitus ad ſuſcipiendum ſacrum Viaticum, & vtrum velit aliqua peccata confiteri & illum audiat atque abſoluat; quamuis priùs deberet eſſe ritè confeſſus, niſi neceſſitas aliter vrgeat. Poſtea facta de more confeſsione generali, ſiue ab infirmo, ſiue eius nomine ab alio, Sacerdos dicit:

Miſereatur, &c. Iudulgentiam, &c.

Deinde factâ genuflexione, accipit Sacramentû de vaſculo, atque illud eleuans oſtendit infirmo dicens,

Ecce Agnus Dei, ecce qui tolit peccata mundi;

& more ſolito ter dicat:

Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum; ſed tantum dic verbo, & ſanabitur anima mea.

Et infirmus ſimul cum Sacerdote dicat eadem verba, ſaltem ſemel, ſubmiſſa voce: tum Sacerdos dans infirmo Euchariſtiam, dicat:

Accipe frater, *vel* ſoror, Viaticum Corporis Domini noſtri IESV Chriſti, qui te cuſtodiat ab hoſte maligno, & perducat in vitam æternam. Amen.

Si verò communio non detur per modum Viatici, dicat more ordinario:

Corpus Domini noſtri IESV Chriſti, &c.

Quodſi mors immineat, & periculum ſit in mora; tunc dicto Miſereatur, &c. prædictis precibus omnibus, vel ex parte omiſſis, ei ſtatim Viaticum præbeatur. Poſtea Sacerdos abluat digitos nihil dicens, & infirmo detur ablutio. Deinde dicat:

*Verſ.* Dominus vobiſcum.
*Reſp.* Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DOmine Sancte, Pater omnipotens æterne DEvs, fideliter deprecamur, vt accipienti fratri noſtro. *vel* ſorori noſtræ, Sacroſanctum Corpus Domini noſtri IEsv Chriſti Filij tui, tam corpori, quam animæ proſit ad remedium ſempiternum. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus ſancti DEvs, per omnia ſæcula ſæculorum.
*Reſp.* Amen.

*His expletis, ſi altera particula Sacramenti ſuperfuerit (ſupereſſe autem ſemper debet, præterquam in caſu iam dicto) genu flectit, ſurgit, & accipiens vas cum Sacramento, facit cum eo ſignum Crucis ſuper infirmum, nihil dicens, & reuerenter illud deferens, ordine quo venerat, reuertitur ad Eccleſiam, dicendo Pſalmum.* Laudate Dominum

num de cœli, & alios Psalmos, & Hymnos, prout tempus feret. Cùm peruenerit ad Ecclesiam, ponit Sacramentũ super Altare, adorat; deinde dicit:

*Vers:* Panem de cœlo præstitisti eis.
*Resp:* Omne delectamentum in se habentem.
*Vers:* Dominus vobiscum.
*Resp:* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEVS, qui nobis sub Sacramento mirabili Passionis tuæ memoriam reliquisti, tribue, quæsumus, ita nos Corporis & Sanguinis tui sacra mysteria venerari, vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter sentiamus. Qui viuis & regnas, &c. *Resp:* Amen.

Deinde annunciat Indulgentias, à Summis Pontificibus concessas, Sanctissimum Sacramentum comitantibus.

Postea cum Sacramento, in pixide velo coo-

perta, faciat signum Crucis super populum, nihil dicens. Postremo illud in loco suo reponat.

Quodsi ob difficultatem, aut longitudinem itineris, vel quia ea, quâ decet, veneratione, Sacramentum ad Ecclesiam commodè reportari non potest; sumpta fuerit vna tantum particula consecrata; vt dictum est, tunc eâ infirmo administratâ, Sacerdos prædictis precibus recitatis, eum manu benedicit, & vnà cum aliis, priuato habitu, extinctis uminibus, vmbellâ demissâ, latente pixide, ad Ecclesiam, vel domum quisque suam, reuertatur.

# De Sacramento EXTREMÆ VNCTIONIS.

EXtremæ Vnctionis Sacramentum à Christo Domino institutum, tanquam cælestis medicina, non animæ solùm, sed etiam corpori salutaris, omni studio ac diligentiâ periculosè ægrotantibus adhibendum est; & eo quidem tempore, si fieri possit, cùm illis adhuc integra mens, & ratio viget: vt ad vberiorem Sacramenti gratiam percipiendam, ipsi etiam fidem, ac piam animi voluntatem conferre possint, dum sacro liniuntur Oleo.

In quo

In quo illud inprimis ex generali Ecclesiæ consuetudine obseruandum est, vt si tempus, & infirmi conditio permittat, ante Extremam vnctionem, Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta infirmis præbeantur.

Habeat igitur parochus loco nitido, & decenter, ornato, in vase argenteo, seu stanneo, diligenter custoditum Sacrum Oleum infirmorum, quod singulis annis Feria 5. in Cœna Domini ab Episcopo benedictum, veteri combusto, renouandum est. Id tamen, si fortè intra annum aliquo modo ita deficiat, vt sufficere non posse videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico Oleo non benedicto in minori quintitate superinfuso, reparari potest.

Oleum porrò ipsum, vel per se solum, vel in bombacio, seu re simili, seruari potest; sed ad euitandum effusionis periculum, multò commodiùs ad infirmos defertur in bombacio.

Debet autem hoc Sacramentum infirmis præberi, qui cùm ad vsum rationis peruenerint, tàm grauiter laborant, vt mortis periculum imminere videatur: & iis qui præ senio deficiunt, & in diem videntur morituri, etiam sine alia infirmitate.

Infirmis autem, qui dum sanà mente, & integris sensibus essent, illud petierunt, seu verisimiliter pe-

tiissent,

tiissent, seu dederint signa contritionis: etiamsi deinde loquela amiserint, aut amentes effecti sint, vel delirent, aut non sentiant, nihilominus præbeatur.

Sed si infirmus, dum phrenesi, aut amentiâ laborat, verisimiliter posset quicquam facere contra reuerentiam Sacramenti: non inungantur, nisi periculum tollatur omninò.

Impœnitentibus verò, & qui in manifesto peccato mortali moriuntur, & excommunicatis, & nondum baptizatis, penitus denegetur.

Non ministretur etiam prælium inituris; aut nauigationem, aut peregrinationem, aut alia pericula subituris, aut reis vltimo supplicio mox afficiendis; aut pueris rationis vsum non habentibus.

Si quis autem laborat in extremis, & periculum immineat, ne decedat antequam finiantur vnctiones; citò vngatur, incipiendo ac eo loco: *Per istam sanctam vnctionem, &c.* vt infrà: deinde si adhuc superuiuat; dicantur Orationes prætermissæ, suo loco positæ.

Si verò dum inungitur, infirmus decedat, Presbyter vltra non procedat, & prædictas orationes omittat.

Quod si dubitet, an viuat adhuc, vnctionem prosequatur sub conditione pronunciando formam, dicens:

dicens: *Si viuis, per istam sanctam vnctionem, &c.* vt infrà.

Si autem acciderit, infirmum post peccatorum suorum confessionem ad exitum vitæ properare, tunc cum Sacro Viatico poterit, & Oleum infirmorum ad eum deferri per ipsum Sacerdotem, qui defert sacram Eucharistiam: si tamen alius Presbyter vel Diaconus, qui Oleum sanctum deferat, haberi possit, per ipsum deferatur; qui superpelliceo indutus, cum Oleo sacro occultè delato, sequatur Sacerdotem Viaticum portantem: & postquam infirmus Viaticum sumpsèrit, inungatur à Sacerdote

In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit, vt cùm infirmus conualuerit, iterum in periculum mortis incidit

Quinque verò corporis partes præcipuè vngi debent, quas velut sensuum instrumenta homini natura tribuit; nempe oculi, aures, nares, os; & manus: attamen pedes etiam & renes vngendi sunt; sed renum vnctio in mulieribus, honestatis gratia, semper omittitur; atque etiam in viris, quando infirmus commodè moueri nō potest. Sed siue in mulieribus, siue in viris, alia corporis pars pro renibus vngi non debet.

Manus verò, quæ reliquis infirmis interius vngi

debent, Presbyteris exteriùs vngantur.

Dum oculos, aures, & alia corporis membra, quæ paria sunt, Sacerdos vngit, caueat, ne altero ipsorum inungendo, Sacramenti formam priùs absoluat, quàm ambo huiusmodi paria membra perunxerit.

Si quis autem sit aliquo membro mutilatus; pars loco illi proxima inungatur, eâdem verborũ formâ.

Huius autem Sacramenti forma, quâ Sancta Romana Ecclesia vtitur, solennis illa precatio est, quam Sacerdos ad singulas vnctiones adhibet, cùm ait:

*Per istam sanctam vnctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quicquid per visum, siue per auditum, &c. deliquisti.*

# ORDO
## MINISTRANDI
### Sacramentum Extremæ Vnctionis.

Sacerdos igitur hoc Sacramentum ministraturus, quatenus fieri poterit, parari curet apud infirmum mensam, mappâ candidâ coopertam, itemque vas, in quo sit bombacium, seu quid simi-

le in ſeptem globulos diſtinctum, ad abſtergendas partes inunctas; medullam panis ad detergendos digitos, & aquam ad abluendas Sacerdotis manus, cereạm item candelam, quæ deinde accenſa ipſi vngenti lumen præbeat: Denique operam dabit, vt quantâ poterit munditiâ, ac nitore, hoc Sacramētum miniſtretur.

Deinde conuocatis Clericis, ſeu miniſtris, vel ſaltem vno Clerico, qui Crucem ſine haſta, aquam benedictam cum aſperſorio, & librum Ritualem deferat: ipſe Parochus decenter accipit vas Sacri Olei infirmorum, ſacculo ſerico violacei coloris inclusum, illudque cautè defert, ne effundi poſſit. Quod ſi longius iter peragendum, aut etiam equitandum ſit, vel aliàs adſit periculum effuſionis, vas Olei ſacculo, aut burſa incluſum, vt dictum eſt, ad collum appendat, vt commodiùs & ſecuriùs perferat. Procedat autem ſine ſonitu campanulæ.

Cùm peruentum fuerit ad locum, vbi iacet infirmus, Sacerdos intrans cubiculum, dicit:

Pax huic domui.

*Reſp.* Et omnibus habitantibus in ea.

Deinde depoſito Oleo ſuper menſam, ſuperpelliceo, ſtolaque violaceâ indutus, ægroto Crucem piè deoſculandā porrigit: mox in modū crucis eū aqua

benedicta, & cubiculum, & circumstantes aspergit, dicens Antiphonam: Asperges me, &c. Quod si ægrotus voluerit confiteri, audiat illum & absoluat. Deinde piis verbis illum consoletur, & de huius Sacramenti vi, atque efficacia, si tempus ferat, breuiter admoneat, & quantum opus sit, eius animum confirmet, & in spem erigat vitæ æternæ.

Postea dicat Versiculum:

Adiutorium nostrum in nomine Domini.

*Resp.* Qui fecit cœlum & terram.

*Vers.* Dominus vobiscum.

*Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

INtroeat Domine IESV Christe, domū hanc, sub nostræ humilitatis ingressu, æterna felicitas, diuina prosperitas, serena lætitia, charitas fructuosa, sanitas sēpiterna: effugiat ex hoc loco accessus dæmonum: adsint Angeli pacis, domumque hanc deserat omnis maligna

discor-

discordia. Magnifica, Domine, super nos nomen sanctum tuum & benedic ✠ nostræ conuersationi: sanctifica nostræ humilitatis ingressum, qui sanctus, & pius es, & permanes cum Patre & Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

OREmus, & deprecemur Dominum nostrum IESVM Christum, vt benedicendo benedicat ✠ hoc tabernaculum, & omnes habitantes in eo, & det eis Angelum bonum custodem, & faciat eos sibi seruire, ad considerandum mirabilia de lege sua; auertat ab eis omnes contrarias potestates; eripiat ab omni formidine, & ab omni perturbatione, ac sanos in hoc tabernaculo custodire dignetur. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat DEvs in sæculorum Amen.

Oremus.

EXaudi nos Domine, Sancte Pater omnipotens, æterne DEvs, & mittere digneris Sanctum Angelum tuum de cœlis, qui custodiat, foueat, protegat, visitet atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

*Quæ orationes, si tempus non patiatur, ex parte vel in totum, poterunt omitti. Tum de more facta confessione generali, Latino vel vulgari sermone Sacerdos dicat:*

Misereatur tui, &c. Indulgentiam, absolutionem, &c.

*Antequam Parochus incipiat vngere infirmum, moneat adstantes, vt pro illo orent, & vbi commodum fuerit, pro loco & tempore, & adstantium numero, vel qualitate, recitent Septem Psalmos Pœnitentiales, cum Litaniis, vel alias Preces, dum ipse*

Vnctionis Sacramentum administrat; mox dicat:

In nomine Patris, ✠ & Filij ✠ & Spiritus ✠ sancti, extinguatur in te omnis virtus diaboli per impositionem manuum nostrarum, & per inuocationem Omnium Sanctorum, Angelorũ, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, atque omnium simul Sanctorum.

Deinde intincto pollice in Oleo sancto, in modum Crucis inungit infirmum in partibus his subscriptis, aptando proprio loco verba formæ in hunc modum:

## Ad Oculos.

Per istam sanctam Vnctionem ✠ & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quicquid per visum deliquisti. Amen.

Minister verò si est in Sacris, vel ipsemet Sacerdos, postquam libet vnctionem tergat loca inuncta nouo globulo bombaciis, vel rei similis, eaque in vase mundo reponat, & ad Ecclesiam postea deferat, comburat, cineresque proiiciat in Sacrarium.

## Ad Aures.

Per istam sanctam Vnctionem, ✠ & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quicquid per auditum deliquisti. Amen.

## Ad Nares.

Per istam sanctam Vnctionem, ✠ & suam piissimam misericordiam, inindulgeat tibi Dominus, quicquid per odoratum deliquisti. Amen.

## Ad Os, compressis labijs.

Per istam sanctam Vnctionem, ✠ &

ſuam pii ſsimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus, quicquid per guſtũ, & locutionem deliquiſti. Amen.

## Ad Manus.

Per iſtam ſanctam Vnctionem, ✠ & ſuam piiſsimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus, quicquid per tactum deliquiſti. Amen.

Et aduerte, quod Sacerdotibus, vt dictum eſt, manus non inunguntur interiùs, ſed exteriùs.

## Ad Pedes.

Per iſtam ſanctam Vnctionem, ✠ & ſuam piiſsimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus, quicquid per greſſum deliquiſti. Amen.

## Ad Lumbos, ſiue Renes.

Per iſtam ſanctam Vnctionem, ✠

& ſuam piiſsimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus, quicquid per lumborum delectationem deliquiſti. Amen.

Hæc autem vnctio ad lumbos, vt dictum eſt, omittitur ſemper in fæminis, & etiam in viris, qui ob infirmitatem vix, aut ſine periculo moueri non poſſunt. Quibus omnibus peractis, Sacerdos dicit.

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon: Pater noſter, &c.
*Verſ.* Et ne nos inducas in tentationē.
*Reſp.* Sed libera nos à malo.
*Verſ.* Saluum fac ſeruum tuum.
*Reſp.* Deus meus ſperantem in te.
*Verſ.* Mitte ei Domine auxilium de (Sancto.
*Reſp.* Et de Sion tuere eum.
*Verſ.* Eſto ei Dñe turris fortitudinis.
*Reſp.* A facie inimici.
*Verſ.* Nihil proficiat inimicus in eo.
*Reſp.* Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

*Verſ.* Domine exaudi orationem meã.
*Reſp.* Et clamor meus ad te veniat.
*Verſ.* Dominus vobiſcum.
*Reſp.* Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DOmine Deus, qui per Apoſtolum locutus es Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſemper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit remittentur ei: cura quæſumus, Redemptor noſter, gratiâ ſancti Spiritus languores iſtius infirmi, eiuſque ſana vulnera, & dimitte peccata, atq; dolores cunctos mentis & corporis ab eo expelle, plenamq; interiùs & exteriùs ſanitatem miſericorditer redde, vt ope miſericordiæ tuæ reſtitutus, ad priſtina reparetur of-

ficia. Qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuis, & regnas Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Oremus.

RESpice, quæſumus Domine, famulum tuũ N. in infirmitate ſui corporis fatiſcentem, & animam refoue, quã creâſti; vt caſtigationibus emendatus, ſe tuâ ſentiat medicinâ ſaluatum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oremus.

DOmine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus, facturam tuã multiplici pietate cuſtodis: ad inuocationem tui nominis benignus aſsiſte, vt famulum tuum ab ægritudine liberatum, & ſanitate donatum, dexterâ tuâ erigas, virtute con-

firmes, poteſtate tuearis, atque Eccleſiæ tuæ ſanctæ cum omni deſiderata proſperitate reſtituas. Per Chriſtum Dominum noſtrum. R*eſp.* Amen.

Ad extremum, pro perſonæ qualitate, ſalutaria monita breuiter præbere poterit, quibus infirmus ad moriendum in Domino confirmetur, & ad fugandas dæmonum tentationes roboretur.

Deniq́ue aquam benedictam, & Crucem, niſi aliam habeat, coram eo relinquet; vt illã frequenter aſpiciat, & pro ſua deuotione oſculetur, & amplectatur.

Admoneat etiam domeſticos, & miniſtros infirmi, vt ſi morbus ingraueſcat, vel infirmus incipiat agonizare, ſtatim ipſum Parochum accerſant, vt morientem adiuuet, eiuſq́ue animam Deo commendet: ſed ſi mors immineat, priuſquam diſcedat, Sacerdos animam Deo ritè commendabit. Quæ autem pertinent ad viſitationem, curamq́ue infirmorum, & adiuuandos morientes, ad commendationem animæ, & ad exequias infra ſuis locis præſcribuntur.

## SEPTEM PSALMI POENITENTIALES.

Cum Litaniis; Pro infirmis, dum ſacro liniuntur Oleo, dicuntur flexis genibus.

# DE VISITATIONE & cura Infirmorum.

PArochus inprimis meminisse debet, non postremas esse muneris sui partes, ægrotantium curā habere: Quare cùm primū nouerit, quēpiam ex fidelibus curæ suæ commissis ægrotare, non expectabit, vt ad eum vocetur; sed vltrò ad illum accedat, idque non semel tantùm, sed sæpiùs, quatenus opus fuerit; horteturque Parochiales suos, vt ipsum admoneant, cùm aliquem in Parochia sua ægrotare contigerit, præcipuè si morbus grauior fuerit.

Ad hoc iuuabit, præsertim in amplis Parochiis, ægrotorum notam seu catalogum habere, vtcuiusque statum & conditionem cognoscat, eorumq; memoriam faciliùs retinere, & illis opportunè subuenire possit.

Quod si Parochus legitimè impeditus, infirmorum, vt quando plures sunt, visitationi interdum vacare non potest, id præstandum curabit per alios Sacerdotes, si quos habet in Parochia sua, aut saltem per laicos homines pios, & Christianâ charitate præditos.

Aegro-

Aegrotos visitans, eâ quâ Sacerdotes Domini decet honestate & grauitate se habeat, vt non ægris solùm, sed sibi & domesticis, verbo & exemplo prosit ad salutem.

Eorum verò præcipuam curam geret, qui humanis auxiliis destituti, benigni ac prouidi pastoris charitatem, & operam requirunt. Quibus si non potest ipse succurrere de suo, & eleëmosynas illis, prout debet, si facultas suppetit, erogare, quantum fieri potest, siue per charitatis, vel alterius nominis Confraternitatem, si in ea ciuitate vel loco fuerit; siue per priuatas, siue per publicas collectas, & eleemosynas illorum necessitatibus succurrendum curabit.

Inprimis autem spiritualem ægrotantium curam suscipiat, omnemque diligentiam in eo ponat, vt in via salutis eos dirigat, atque à diabolicis insidiis salutarium adiumentorũ præsidia defendat, ac tueatur.

Accedat autem ad ægrotum ita paratus, vt in promptu habeat argumenta ad persuadendũ apta; ac præsertim Sanctorum exempla, quæ plurimum valent, quibus eum in Domino consoletur, excitet, ac recreet. Horteturque vt omnem spem suam in Deo ponat, peccatorum suorum pœniteat; diuinam misericordiam imploret, & infirmitatis pœnas tan-

quam paternam Dei visitationem patienter ferat, & ad salutem suam prouenisse credat, vt vitam moresque suos meliùs instituat.

Deinde quà par est prudentia & charitate, hominem ad sacram Confessionem inducat, & confitentem audiat, etiamsi velit totius vitæ peccata confiteri; ac si opus fuerit, tàm infirmo, quàm eius familiaribus, vel propinquis, in memoriã reuocet, quod Lateranen: Concilij, ac plurium Summorum Pontificum decretis cauetur sub grauibus pœnis, ne Medici vltra tertiam vicem ægrotos visitent, nisi priùs ipsis certò constet, illos Confessionis Sacramento ritè expiatos esse.

Illud præterea diligenter seruari curabit, ne quis pro corporali salute aliquid ægroto suadeat, vel adhibeat, quod in detrimentum animæ conuertatur.

Vbi verò periculum immineat, Parochus monebit ægrotum, ne Dæmonum astutiâ, neque Medicorum pollicitationibus, neque propinquorum, aut amicorum blanditiis, se vllo modo decipi sinat, quominùs ea, quæ ad animæ salutem pertinent, opportunè procuret; & quâ par est deuotione, & celeritate, sancta Sacramenta, dum sana mens est, integrique sensus, religiosè suscipiat, citra fallacem illam ac perniciosam procrastinationem, quæ plurimos

ad æter-

ad æterna ſupplicia perduxit, in dieſque fallente diabolo, perducit

Quodſi æger aliquis, hortationibus ac monitis Sacerdotum, vel amicorum, & domeſticorum conſiliis adduci non poteſt, vt velit peccata ſua confiteri, tunc non omninò deſperanda res eſt: ſed quamdiu ille viuit, repetendæ ſunt frequentes, variæ & efficaces Sacerdotum, & aliorum piorum hominum exhortationes; proponendaque æternæ ſalutis damna, & ſempiternæ mortis ſupplicia; oſtendendaą; immenſa Dei miſericordia, eum ad pœnitentiam prouocantis, ad ignoſcendum paratiſsimi: adhibendæ ſunt etiam, tùm priuatæ tùm publicæ ad Deum preces, ad Diuinam gratiam impetrandam pro ſalute miſeri decumbentis.

Videbit deniq́ue Sacerdos, quibus potiſsimum tentationibus, aut prauis opinionibus æger ſit ſubiectus, eiq́ue prout opus fuerit, apta remedia prudenter adhibebit.

Sacras imagines, Chriſti Domini crucifixi, Beatæ Mariæ Virginis, & Sancti, quem æger præcipuè veneratur, ob oculos eius apponi curabit. Vaſculum item adſit aquæ benedictæ, quâ frequenter aſpergatur.

Proponet etiam ægrotanti, prout eius conditio

feret, aliquas breues orationes, & pias mentis ad Deum excitationes, præſertim verſiculos è Pſalmorum libro, vel Orationem Dominicã, & Salutationem Angelicam, Symbolum fidei, vel Paſſionis Domini noſtri meditationem, & Sanctorum martyria, & exempla, ac cæleſtis gloriæ beatitudinem. Hæc tamen opportunè & diſcretè ſuggerantur, ne ægroto moleſtia, ſed leuamen afferatur.

Conſoletur infirmum dicens, ſe pro eo in Miſſæ ſacrificio, & aliis precibus oraturum curaturumquè vt alij itidem pro eo faciant, idque re ipſa præſtabit.

Si morbus grauior, vel cum periculo fuerit, ægroto ſuadeat, vt dum integrâ mente eſt, rem ſuam omnem rectè conſtituat, & teſtamentum faciat; ſi quid habet alienum, reſtituat; & ad remedium animæ ſuæ pro facultatibus, quod in Domino ei placuerit, diſponat: ſed hæc ſuggerendo, omnis auaritiæ nota caueatur.

Hortetur deniquè, vt ſi conualuerit, ante omnia ad Eccleſiam veniat, vbi Deo gratias agat de reſtitutâ valetudine, & Sacram Communionem piè ſuſcipiat, ac deinceps meliorē vitæ diſciplinam teneat.

Sequentes preces omnes, vel ex parte, prout tempus, & ægrotorum conditio feret, arbitrio Sacerdo-

tis dici vel omitti possunt.

Sacerdos igitur infirmi cubiculum ingressus, primùm dicat:

Pax huic domui.

*Resp.* Et omnibus habitantibus in ea.

Mox infirmum & lectum eius, & cubiculum, aspergat aquâ benedictâ, dicens Antiphonam:

Asperges me Domine, &c.

Deinde erga infirmum officium suum præstet, vt supra dictum est. Quo præstito, vel antequam discedat, dicere poterit supra infirmum aliquem Psalmum ex quatuor prioribus Pœnitentialibus, vel Psalmum, Qui habitat in adiutorio, &c. cum Gloria Patri, in fine. Postea dicat.

Kyrie eleison. Christe eleison.

Kyrie eleison Pater noster, &c.

*Vers.* Et ne nos inducas in tentationē.

*Resp.* Sed libera nos à malo.

*Vers.* Saluum fac seruum tuum.

*Resp.* Deus meus sperantem in te.

*Vers.* Mitte ei Domine auxilium de sancto.

*Resp.* Et de Sion tuere eum

*Vers.* Nihil proficiat inimicus in eo.
*Resp:* Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
*Vers.* Esto ei Domine turris fortitudinis.
*Resp.* A facie inimici.
*Vers* Dominus opem ferat illi.
*Reps.* Super lectum doloris eius.
*Vers.* Domine exaudi orationem meã.
*Resp:* Et clamor meus ad te veniat.
*Vers.* Dominus vobiscum.
*Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEvs, cui proprium est misereri semper, & parcere: suscipe deprecationem nostram, vt nos & hunc famulum tuum, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absoluat.

DEvs infirmitatis humanæ singulare præsidium, auxilij tui super infirmũ famulum tuum, ostende virtutem: vt

ope misericordiæ tuæ adiutus, Ecclesiæ tuæ sanctæ incolumis repræsentari mereatur.

COncede hunc famulum tuum, quæsumus, Domine DEVS, perpetua mentis & corporis sanitate gaudere, & gloriosa Beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, à præsēti liberari tristitiâ, & æterna perfrui lætitia. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis, Patris, ✠ & Filij & Spiritus sancti, descendat super te, & maneat semper. Resp. Amen.

De inde aspergat eum aquâ benedictâ.

## MODVS
## IVVANDI MORIENTES.

INgrauescente morbo, Parochus infirmum frequentiùs visitabit, & ad salutem diligenter iuuare non desinet: monebitque instante periculo se confestim vocari, vt in tempore præsto sit morienti; sumptoque Sanctissimo viatico, & sacrâ Vnctione

adhibitâ, si periculum immineat, statim commendationis animæ officium præstabit, de quo infrà. Sed si tempus suppetat, sequentia pietatis officia præstare poterit, si ita expedire iudicauerit pro conditione personæ.

Ac primùm, si ægrotus indulgentiam legitimâ authoritate concessam consequi possit, eam illi reducat ad mentem, proponatque quid ad eam consequendam agi debeat; præsertim, vt contrito corde Sanctissimum Nomon IESV semel, vel sæpiùs inuocet.

Deinde hortetur infirmum, & excitet, vt dum mente viget, eliciat actus fidei, spei, & charitatis, aliarumque virtutum, nempè.

Vt firmiter credat omnes articulos fidei, & quicquid Sancta Romana Ecclesia Catholica, & Apostolica credit, & docet.

Vt speret, Christum Dominum nostrum, pro sua immensa clementia, sibi fore propitium, & merito eius Sanctissimæ Passionis, & per intercessionē Beatæ Mariæ, & Omnium Sanctorum,

ſe vitam æternam conſequuturum.

Vt toto corde diligat, & maximè diligere cupiat Dominum Deum eâ dilectione, quâ illum diligunt Beati, Sanctique omnes.

Vt ob amorem Dei doleat ex corde de omni offenſa, qualitercunque contra Domum Deum & proximum commiſſa.

Vt ex corde, ob amorem Dei, parcat omnibus, qui ſibi quoquo modo fuerint moleſti, aut inimici.

Vt ab iis veniam poſtulet, quos aliquando dictis aut factis offendit.

Vt quem patitur dolorem,& morbi moleſtiam, propter Deum in pœnitentiam peccatorum ſuorum patienter toleret.

Vt ſi Dominus ſibi ſalutem corporis præſtare dignabitur, proponat de cætero pro viribus ſuis à peccatis caue-

re, & eius mandata ſeruare.

Hortetur præterea, vt eo modo quo poteſt, ſaltem ex corde ita per interualla precetur.

Miſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam.

In te Domine ſperaui non confundar in æternum.

In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum: redemiſti me Domine Deus veritatis.

Deus in adiutorium meũ intende:
Domine ad adiuuandũ me feſtina.
Eſto mihi Dñe in Deũ protectorẽ.
DEvs propitius eſto mihi peccatori.
Dulciſsime Domine IEsv Chriſte, per virtutem Sanctiſsimæ Paſsionis tuæ, recipe me in numerum electorũ tuorum.

Domine IEsv Chriſte, ſuſcipe ſpiritum meum.

Maria mater gratiæ, mater miſeri-

cordiæ

cordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe.

Sancte Angele Dei, mihi custos assiste.

Omnes Sancti Angeli, & omnes Sancti, intercedite pro me, & mihi succurrite.

Hæc & his similia, poterit prudens Sacerdos, vulgari vel Latino sermone, pro personæ captu, morienti suggerrere.

Plura de visitatione & cura Infirmorum habentur, in ipso Rituali Romano, ad quod habeatur recursus.

Item Ordo Commendationis animæ ibidem: vel prout habetur ad calcem Breuiarij Romani. Quem quanta poterit maiori deuotione dicat, admoneatq; domesticos & circumstantes, vt simul orent pro moriente.

## In Expiratione.

CVm verò tempus expirandi institerit, tunc maximè ab omnibus circumstantibus flexis geni-

bus vehementer orationi inſtandum eſt. Ipſe verò moriens, ſi poteſt, dicat: vel ſi non poteſt, aſsiſtens, ſiue Sacerdos pro eo clara voce pronunciet: IEſu, IEſu, IEſu. Quod & ea, quæ ſequutur, ad illius aures ſi videbitur, etiam ſæpius repetat:

In manus tuas Domine commendo Spiritum meum. Domine Ieſu Chriſte, ſuſcipe ſpiritum meum. Sancta Maria ora pro me. Maria mater gratiæ, mater miſericordiæ, tu me ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe.

Tunc vbi viget pia conſuetudo, pulſetur campana Parochialis Eccleſiæ aliquibus ictibus, ad ſignificandum fidelibus in vrbe, vel loco, aut extra in ſuburbanis exiſtentibus, inſtantem mortem expirantis ægroti, vt pro eo Deum rogare poſsint. Egreſsâ animâ de corpore, ſtatim dicatur hoc Reſponſorium.

Subuenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini; Suſcipientes animã eius.

Offeren-

Offerentes eam in conſpectu Altiſſimi.

*Verſ.* Suſcipiat te Chriſtus, qui vocauit te, & in ſinum Abrahæ Angeli deducant te.

*Reſp.* Suſcipientes animam eius, offerentes eam in conſpectu Altiſsimi

*Verſ.* Requiem æternam, dona ei Domine.

*Reſp.* Et lux perpetua luceat ei.

Offerentes eam in conſpectu Altiſſimi.

Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſon.
Kyrie eleyſon. Pater noſter &c.

*Verſ.* Et ne nos inducas in tentationem.

*Reſp.* Sed libera nos à malo.

*Verſ.* Requiem æternã dona ei Domine.

*Reſp.* Et lux perpetua luceat ei.

*Vers.* A porta inferi.
*Resp.* Erue Domine animam eius.
*Vers.* Requiescat in pace. *Resp.* Amē.
*Vers.* Domine exaudi orationem meam.
*Resp.* Et clamor meus ad te veniat.
*Vers.* Dominus vobiscum.
*Resp.* Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Tibi Domine, commendamus animam famuli tui N vt defunctus sæculo tibi viuat, & quæ per fragilitatem humanæ conuersationis peccata commisit, tu veniâ misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum.

Interim detur campanæ signum transitûs defuncti, pro loci consuetudine, vt audientes pro eius anima Deum precentur. Deinde corpus de more honestè compositum, loco decenti, cum lumine,

collocetur; ac parua crux super pectus inter manus defuncti ponatur: aut vbi crux desit, manus in modum crucis componantur: interdumq; aspergatur aquâ benedictâ, & interim donec efferatur, qui adsunt, siue Sacerdotes, siue alij, orabant pro defuncto.

# DE EXEQVIIS.

SAcras cæremonias ac ritus, quibus ex antiquissima traditione, & Summorum Pontificum institutis, sancta Mater Ecclesia Catholica in filiorum suorum exequiis vti solet; tanquam vera religionis mysteria, Christianæque pietatis signa, & fidelium mortuorum saluberrima suffragia, Parochi summo studio seruare debent, atq; vsu retinere.

His itaque præstandis, quâ par est modestiâ, ac deuotione ita se habebunt, vt ad defunctorum salutem simulque ad viuorum pietatem, quemadmodum verè sunt, non ad quæstum, eiusmodi ritus sancti instituti esse videantur.

Nullum corpus sepeliatur, præsertim si mors repentina fuerit, nisi post debitum temporis interuallum, vt nullus omnino de morte relinquatur dubitandi locus.

Quod antiquissimi est instituti, illud quantum

fieri poterit, retineatur, vt Missa præsente corpore defuncti, pro eo celebretur, antequam sepulturæ tradatur.

Si quis die festo sit sepeliendus, Missa propria pro defunctis, præsente corpore celebrare poterit, dum tamen Conuentualis Missa, & officia Diuina non impediantur, magnaque diei celebritas non obstet.

Caueant omnino Parochi, aliiq; Sacerdotes, ne sepulturæ, vel exequiarum, seu anniuersarii mortuorum officij causa, quicquam paciscantur, aut tanquã pretium exigant. Sed ijs eleëmosynis contenti sint, quæ aut probata consuetudine dari solent, aut Ordinarius constituerit. Neq; permittant, vt pallia, aut alia altaris ornamenta, ad ornatum feretri vel tumbæ, adhibeantur.

Cùm autem antiquissimi ritus Ecclesiastici sit, cereos accensos in exequiis & funeribus deferre, caueant item, ne eiusmodi ritus omittatur, ac ne quid auarè aut indignè in eo committatur.

Pauperes verò, quibus mortuis nihil, aut ita parum superest, vt propriis impensis humari non possint, gratis omninò sepeliantur; ac debita lumina suis impensis, si opus fuerit, adhibeant Sacerdotes, ad quos defuncti cura pertinet, vel aliqua pia Con-

frater-

ftaternitas, si fuerit, iuxta loci consuetudinem.

Vbi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in cæmeteriis, retineatur, & vbi fieri potest, restituatur; at verò cui locus sepulturæ dabitur in Ecclesia, humi tantùm detur. Cadauera autem propè altaria non sepeliantur.

Sepulchra Sacerdotum & Clericorum cuiuscunq; Ordinis, vbi fieri potest, à sepulchris laicorum separata sint; ac decentiori loco sita: atq; ita vbi cōmodum fuerit, vt alia pro Sacerdotibus, alia pro inferioris Ordinis Ecclesiæ ministris parata sint.

Sacerdos, aut cuiusuis Ordinis Clericus defunctus, vestibus suis quotidianis communibus vsq; ad talarem vestem inclusiue; tum desuper sacro vestitu Sacerdotali vel Clericali, quem Ordinis sui ratio deposcit, indui debet. Sacerdos quidem super talarem vestem, amictu, albâ, cingulo, manipulo, stolâ & casula, seu planeta violacea sit indutus.

Diaconus verò induatur amictâ, albâ cingulo, manipulo, stolâ, super humerū sinistrū, quæ sub axilla dextra annectatur; & Dalmatica violacea.

Subdiaconus autem amictu, albâ, cingulo, manipulo & tunicellâ.

Alii præterea inferiorum Ordinum Clerici, superpelliceo supra vestem talarem ornari debent: singuli

guli prædicti cum tonſura ac biretis ſuis.

Nullum porro cadauer perpetuæ ſepulturæ traditum, ex vlla cuiusuis Ordinis Eccleſia aſportari liceat, niſi de licentia Ordinarij.

Laici cadauer, quolibet generis aut dignitatis titulo præditus ille fuerit, Clerici ne deferant, ſed laici.

Corpora defunctorum in Eccleſia ponenda ſunt pedibus verſus altare maius, vel ſi conduntur in Oratoriis, aut Capellis, ponantur cum pedibus verſis ad illarum altaria, quod etiam pro ſitu & loco fiat in ſepulchro. Presbyteri verò habeant caput verſus altare.

Cæterum, nemo Chriſtianus in communione fidelium defunctus, extra Eccleſiam aut cæmeterium ritè benedictum ſepeliri debet. Sed ſi neceſsitas cogat ex aliquo euentu aliquando ad tempus fieri; curetur, vt quatenus fieri poterit, corpus in locum ſacrum quamprimùm transferatur, & interim ſemper crux capiti illius apponi debet, ad ſignificandum illum in Chriſto quieuiſſe.

## Quibus non licet dari Eccleſiaſticam ſepulturam.

IGnorare non debet Parochus; qui ab Eccleſiaſticâ ſepulturâ ipſo iure ſunt excludendi: ne quen-

quam ad illam contra Sacrorum Canonum decreta vnquam admittat.

Negatur itaque Ecclesiastica sepultura Paganis, Iudæis, & omnibus infidelibus, Hæreticis, & eorum fautoribus: Apostatis à Christiana fide, Schismaticis, & publicè excommunicatis maiori excommunicatione. Interdictis nominatim, & iis, qui sunt in loco interdicto, eo durante.

Seipsos occidentibus ob desperationem vel iracundiam (non tamen si ex insania id accidentia) nisi ante mortem dederint signa pœnitentiæ.

Morientibus in duello, etiamsi ante obitum dederint pænitentiæ signa.

Manifestis & publicis peccatoribus, qui sine pœnitentia perierunt.

Iis, de quibus publicè constat, quod semel in anno non susceperint Sacramenta.

Confessionis & Communionis in Pascha, & absque vllo signo contritionis obierunt.

Infantibus mortuis absque baptismo.

Vbi verò in prædictis casibus dubium occurrerit, Ordinarius consulatur.

## Exequiarum Ordo.

Constituto tempore, quo corpus ad Ecclesiam deferendum est, conuocetur Clerus, & alij, qui funeri interesse debent, & in Parochialem, vel in aliam Ecclesiam, iuxta loci consuetudinem, ordine conueniant: ac datis certis campanæ signis eo modo & ritu quo in eo loco fieri solet, Parochus indutus superpelliceo, & stolâ nigra, vel etiam pluuiali eiusdem coloris, Clerico præferente crucem, & alio aquam benedictam, ad domum defuncti vnà cum aliis procedit, & ibi, si fuerit requisitus, Officium defunctorum absoluit, vel totum, vel ex rationabili causa saltem primùm Nocturnum cum Laudibus, & aliis Orationibus. Distribuuntur postea cerei, & accendũtur intortitia: mox ordinatur Processio, præcedentibus laicorũ Confraternitatibus, si adsint; tum sequitur Clerus Regularis & Secularis per Ordinem, biniq́ue procedunt, prælata Cruce, deuotè Psalmos, vt infra, decantantes, Parocho præcedente feretrum cum luminibus, inde sequuntur alij funes comitantes, & pro defuncto Deum ritè deprecantes cum silentio.

Parochus verò antequam cadauer efferatur illud aspergit aquâ benedictâ; mox dicit Antiph: Si iniquitates. cum Psal: De profundis clamaui ad te,

&c. in

&c. in fine. Requiem æternam dona ei Domine, & Si lux perpetua luceat ei. Repetit Antiph: totam: iniquitates, &c. Deinde cadauer effertur, Parochusque de domo procedens, statim graui voce intonat Antipho: Exultabunt Domino. & Cantores inchoant Psalmum, Miserere mei Deus, secundùm magnam, &c. Clero alternatim prosequente: ac si longitudo itineris postulauerit, dicuntur Psalmi Graduales. Ad Dominum cum tribularer clamaui. vel alii Psalmi ex officio mortuorum; & in fine cuiusque Psalmi dicitur Requiem æternam dona ei Domine &c. qui Psalmi deuotè, distinctè, grauique voce recitari debent vsque ad Ecclesiam.

Ad ingressum Ecclesiæ, repetitur Antiphona. Exultabunt Domino ossa humiliata. Deinde Ecclesiam ingressi, cantant Resp. Cantore incipiente & Clero alternatim respondente, videlicet.

Svbuenite S. Dei, occurrite Angeli Domini. Suscipientes animam eius Offerentes eam in conspectu Altissimi Suscipiat te Christus, qui vocauit te, & in sinu Abrahæ Angeli deducant te. *Vers.* Suscipientes. Requiem æter-

æternam dona ei Domine, & lux perpetua luceat ei. Offerentes eam.

Deposito feretro in medio Ecclesiæ, ita vt Defuncti pedes, si fuerit laicus, sint versus altare maius: si fuerit Sacerdos, caput sit versus ipsum altare, celebretur Missa pro defuncto.

Finita Missa. Sacerdos deposita casula, seu planeta, & manipulo, accipit pluuiale nigri coloris, & Subdiaconus accipit crucem, & accedit ad feretrum, & se sistit ad caput defuncti cum cruce, medius inter duos Acolytos seu ceroferarios cum candelabris, & candelis accensis: & omnes alii de Clero veniunt ordinatim in gradu suo, cum candelis accensis, & stant in circuitu feretri, tum sequitur Sacerdos cum Diacono & assistente, aliisque ministris; & facta reuerentia Altari, sistit se cōtra crucem ad pedes defuncti, retro astantibus ei à sinistris duobus Acolythis, vno cum thuribulo, & nauicula incensi, altero cum vase aquæ benedictæ, & aspersorio, & Acolytho, seu Clerico tenente librum, absolutè dicit sequentem Orationem.

NOn intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia nullus apud te

iuſtificabitur homo, niſi per te omnium peccatorum ei tribuatur remiſsio. Non ergo eum, quæſumus, tua iudicialis ſententia premat, quem tibi vera ſupplicatio fidei Chriſtianæ commendat: ſed gratia tua illi ſuccurrente, mereatur euadere iudicium vltionis, qui dum viueret, inſignitus eſt ſignaculo Sanctæ Trinitatis. Qui viuis & regnas in ſæcula ſæculorum. *Reſp.* Amen.

Deinde Cantore incipiente, Clerus circumſtans cantat ſequens Reſponſorium.

LIbera me Domine de morte æterna in die illa tremenda. Quando cæli mouendi ſunt, & terra. Dum veneris iudicare ſæculum per ignem.

*Verſ.* Tremens factus ſum ego & timeo, dum diſcuſsio venerit, atq; ventura ira. Quando. Dies illa, dies iræ, calamitatis & miſeriæ, dies magna &

amara valde. Dum ve. Requiem æternam dona ei Domine, & lux perpetua luceat ei. Libera me.

Dum cantatur prædictum Responsorium, Sacerdos Acolytho seu Diacono ministrante, accipit incensum de nauicula, & ponit in thuribulum; & finito Responsorio, Cantor cum primo choro dicit:

Kyrie eleison.

Et secundus Chorus respondet.

Christe eleison.

Deinde omnes simul dicunt.

Kyrie eleison.

Mox Sacerdos dicit altâ voce, Pater noster, &c & secreto dicitur ab omnibus, & ipse interim accipit à Diacono vel Acolytho aspersorium aquæ benedictæ, & factâ profundâ inclinatione Cruci, quæ est ex aduerso, Diacono, seu ministro genuflectente, & fimbrias pluuialis subleuante circuiens feretrum, ( si transit ante Sacramentum genuflectit ) aspergit corpus defuncti: deinde reuersus ad locum suum, Diacono ministrante, accipit thuribulum, & eodem modo circuit feretrum, & cor-

pus incensat, vt asperserat, postea reddito thuribulo, ei à quo acceperat, stans in loco suo, Acolytho, seu alio ministro, tenente librum apertum ante se, dicit:

*Vers.* Et ne nos inducas in tentationem.
*Resp.* Sed libera nos à malo.
*Vers.* A porta inferi.
*Resp.* Erue Domine animam eius.
*Vers.* Requiescat in pace. *Resp.* Amē.
*Vers.* Domine exaudi orationem meam.
*Resp.* Et clamor meus ad te veniat.
*Vers.* Dominus vobiscum.
*Resp.* Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DEus cui proprium est misereri semper & parcere, te supplices exoramus, pro anima famuli tui N. quam hodie de hoc sæculo migrare iusisti, vt non tradas eam in manus inimici, neq;

obliuiſcaris in finem; ſed iubeas eam à ſanctis Angelis ſuſcipi, & ad patriam Paradiſi perduci: vt quia in te ſperauit, & credidit, non pœnas inferni ſuſtineat, ſed gaudia ſempiterna poſsideat. Per Chriſtum Dominum noſtrũ
*Resp.* Amen.

Si defunctus fuerit Sacerdos, in oratione dicatur: pro anima famuli tui Sacerdotis, quàm hodie, &c.

Finita oratione, corpus defertur ad ſepulchrũ, ſi tunc deferendum ſit; & dum portatur, clerici cantant Antiphonam.

IN paradiſum deducant te Angeli: in tuo aduentu ſuſcipiant te Martyres, & perducant te in ciuitatem Sanctam Hieruſalem: Chorus Angelorum te ſuſcipiat, & cum Lazaro quondam paupere æternam habeas requiem.

Cùm autem peruenerit ad ſepulchrum ſi non

est benedictum, Sacerdos illud benedicit, dicens hanc orationem.

Oremus,

DEvs, cuius miseratione animæ fidelium requiescunt, hunc tumulum benedicere dignare, eiq́, Angelum tuum sanctum deputa custodem; & quorum quarumq́; corpora hic sepeliuntur, animas eorum ab omnibus absolue vinculis delictorum, vt in te semper, cum Sanctis tuis, sine fine lætentur. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Dictâ Oratione, Sacerdos aquâ benedictâ aspergat, deinde incenset corpus defuncti, & tumulum.

Quod si corpus tunc ad sepulturam non deferatur, omisso Responsorio, In Paradisum. &c, & benedictione sepulchri, si iam est benedictum, prosequatur officium, vt infra, quod nunquam omittitur, & intonet Antiphonam.

EGo sum resurrectio:

Et dicitur Canticum Benedictus.

Et repetitur Antiphona.

Euouae. Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit viuet, & omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternum.

Postea Sacerdos dicit:

Kyrie eleyson. Christe eleyson.
Kyrie eleyson. Pater noster.

Interim corpus aspergit.

*Vers.* Et ne nos inducas in tentationem.
*Resp* Sed libera nos à malo.
*Vers.* A porta inferi.
*Resp* Erue Domine animam eius.
*Vers.* Requiescat in pace. *Resp.* Amē.
*Vers.* Domine exaudi orationem meam.
*Resp.* Et clamor meus ad te veniat.
*Vers.* Dominus vobiscum.
*Resp.* Et cum spiritu tuo.

*Oremus*

Oremus.

FAc, quæſumus Domine, hanc cum ſeruo tuo defuncto, vel (famula tua defuncta) miſericordiam, vt factorum ſuorum in pœnis non recipiat vicem, qui, vel quæ, tuam in votis tenuit voluntatem: vt ſicut hic eum, vel eam, vera fides iunxit fidelium turmis, ita illic eum, vel eam, tua miſeratio ſociet Angelicis choris. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Reſp.* Amen.

*Verſ.* Requiem æternam dona ei Domine

*Reſp.* Et lux perpetua luceat ei.

*Verſ.* Requieſcat in pace. *Reſp.* Amē.

*Verſ.* Animam eius, & animæ omnium fidelium defunctorum, per miſericordiam Dei requieſcat in pace.

Deinde à ſepultura Eccleſiam, vel in Sacriſtiam reuertentes, dicant ſine cantu Antiph. Si iniquitates. cum Pſalmo. De profundis; &c. Requiem æternam dona eis Domine, &c.

Si verò ob rationabilem cauſam, videlicet ob temporis anguſtiam, vel aliorum funerum inſtantem neceſsitatem; Officium Mortuorum, cum tribus Nocturnis & Laudibus, dici non poteſt: dicatur ſaltem primum Nocturnum cum Laudibus, maximè vbi eiusmodi viget conſuetudo; incipiendo ab Inuitatorio: Regem cui omnia viuunt, Venite, &c.

Et poſtea omnia alia dicantur, quæ præſcripta ſunt dicenda poſt Officium Mortuorum, & Miſsam.

Quod ſi etiam ea fuerit temporis anguſtia, vel alia vrgens neceſsitas vt vnum Nocturnum cum Laudibus dici non poſsit; aliæ prædictæ Preces & Suffragia nunquam omittantur.

Miſſa verò, ſi hora fuerit congruens, ritu pro Defunctis, vt in die obitus, præſente corpore non omittatur: niſi obſtet magna diei ſolennitas, aut aliqua neceſsitas aliter ſuadeat, & poſt Miſſam, fiat vt ſupra.

## Ordo Exequiarum breuior, ex vſu Prouinciæ huius.

CVm corpus defuncti domo effertur, canatur Reſponſorium: Libera me Domine, &c. Cum autem ad Eccleſiam vel Cæmeterium delatum fuerit, Sacerdote, ad caput feretri, penes ſepulchrum ſtante, canitur: Qui Lazarum &c. cum ſuo verſu & Requiem æternam, &c.

Quo finito, Sacerdos cum aliis, ſi commodè poterit genuflexus, dicit tono conſueto, lugubri, Verſ. Kyrie eleiſon. Reſp. Chriſte eleyſon. Kyrie eleyſon. Pater noſter, &c.

Verſ. Et ne nos inducas in tentationem.
Reſp Sed libera nos à malo.
Verſ. A porta inferi.
Reſp. Libera Domine animas eorū.
Verſ. Requieſcāt in pace Reſp. Amē.
Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.

*Vers.* Dominus vobiscum.
*Resp.* Et cum Spiritu tuo.

Deinde assurgendo prosequitur.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui humano corpori animam inspirare dignatus es, dum te iubente, puluis redit in puluerem: tu imaginem tuam eidem corpori, virtute resurrectionis tuæ reddendam, cum Sanctis, & electis tuis æternis sedibus præcipias sociari. Per Dominum nostrum, &c

*Resp.* Amen.

Deinde defuncto in tumulum demisso, Sacerdos aspergat illum aquâ benedictâ, & parum terræ iniiciendo, dicat:

De terra formasti me Domine, & carne induisti me: resuscita me in nouissimo die, redemptor meus Domine.

Postremò dum perficitur sepultura, canitur per chorum Antiph. Salue Regina.

## De Officio faciendo in Exequiis, absente corpore defuncti, & in die tertio, septimo, trigesimo, & anniuersario.

SI facienda sint exequiæ absente corpore eo die, quo bene visum fuerit, in Ecclesia dicatur Officium mortuorum, cum tribus Nocturnis & Laudibus, & Antiph. duplicatis; vel saltem vnum Nocturnum cum tribus Lectionibus, & Laudibus, & Missa. Post Missam celebrans deponit manipulum, & planetam, accipit pluuiale nigri coloris, & præcedentibus Subdiacono cum Cruce, & Clero, & duobus Ceroferariis cum luminaribus accensis, & duobus Acolythis, vno cum nauicula incensi & thuribulo, & altero cum vasculo aquæ benedictæ, & aspersorio, & hoc libro Rituali accedit cum Diacono à sinistris ad locum tumuli, & ibi circumstante Clero cantatur Respons: Libera me Domine &c. vt supra: Interim ministratur incensum, benedicitur, & imponitur in thuribulum, Postea dicitur Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Sacerdos dicit Pater noster, &c. & dum secretò dicitur,

citur, accipit aſperſorium, circuit tumbam aſpergens; deinde incenſat eodem modo, vt dictum eſt. Poſtea dicit.

*Verſ.* Et ne nos inducas in tentationem.
*Reſp.* Sed libera nos à malo.
*Verſ.* A porta inferi.
*Reſp.* Erue Domine animam eius.
*Verſ.* Requieſcat in pace. *Reſp.* Amē.
*Verſ.* Domine exaudi orationem meam.
*Reſp.* Et clamor meus ad te veniat.
*Verſ.* Dominus vobiſcum.
*Reſp.* Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

ABſolue, quæſumus Domine, animā famuli tui, vel famulæ tuæ, vt defūctꝰ vel functa ſæculo tibi viuat; & peccata quæ per fragilitatem carnis humani conuerſatione commiſit, tu venia miſeri-

ſericordiſsimæ pietatis abſterge. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Vel dicatur Oratio, quæ dicta eſt in Miſſa, vel alia conueniens.

Verſ. Requiem æternam dona ei Domine.
Reſp. Et lux perpetua luceat ei.
Verſ. Requieſcat in pace. Reſp. Amē.

Si officium fuerit pro pluribus defunctis, Oratio, & Verſus, dicantur in plurali numero: ſi fuerit mulier, in genere fœmineo: ſi fuerit Sacerdos vel Epiſcopus, in Oratione exprimitur nomen dignitatis, &c.

Prædictus autem Officij ritus pro defunctis adultis, tàm Sacerdotibus & Clericis, quàm ſecularibus & laicis, ſeruari debet in Officio ſepulturæ in die depoſitionis, ſiue in die tertio, ſeptimo, trigeſimo, & anniuerſario.

## De Exequiis paruulorum.

INprimis admonendi ſunt Parochi, vt iuxta vetuſtam, & laudabilem Eccleſiarum conſuetudinem, paruulorum corpuſcula non ſepeliantur in communibus, & promiſcuis cæmeteriorum & Eccleſiarum ſepulturis; ſed vt pro illis in Parochialibus Eccleſiis. aut illarum cæmeteriis, quatenus cōmodè fieri poteſt, ſpeciales, & ſeparatos ab aliis loculos, & ſepulturas habeant, ſeu fieri curent, in quibus non ſepeliantur, niſi baptizati fuerint infantes, vel pueri, qui ante annos diſcretionis obierunt.

In funere paruulorum, vt plurimum non pulſantur campanæ: quodſi pulſentur non ſono lugubri, ſed potiùs feſtiuo pulſari debent.

## Ordo ſepeliendi Paruulos.

CVm igitur infans, vel puer baptizatus defunctus fuerit ante vſum rationis, induitur iuxta ætatem, & imponitur ei corona de floribus, ſeu de herbis aromaticis & odoriferis, in ſignum integritatis carnis, & virginitatis; & Parochus ſuperpelliceo & ſtola alba indutus, & alii de Clero, ſi adſint præcedente Cruce, quæ ſine haſta defertur, accedunt ad domum defuncti cum Clerico aſperſori-

um deferente, Sacerdos aspergit corpus, deinde dicit.

Antiph. Sit nomen Domini.

Psalmus 112.

LAudate pueri Dominum: laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum: ex hoc nunc & vsque in sæculum.

A solis ortu vsque ad occasum: laudabile nomen Domini.

Excelsus super omnes gentes Dominus: & super cœlos gloria eius.

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat: & humilia respicit in cælo & in terra?

Suscitans à terra inopem: & de stercore erigens pauperem.

Vt collocet eum cum principibus: cum principibus populi sui.

Qui habitare facit sterilem in do-

mo: matrem filiorum lætantem.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. &c.

Antiph. Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc & vſque in ſæculum.

Dum portatur ad Eccleſiam, dicatur Pſalmus, Beati immaculati, &c. & ſi tempus ſupereſt, dici poteſt Pſalmus Laudate Dominum de cælis. cum aliis duobus ſequentibus, & in fine Gloria Patri &c.

Cùm autem peruenerit ad Eccleſiam dicatur.

Hic accipiet.

Pſalmus 23.

DOmini eſt terra, & plenitudo eius: orbis terrarum, & vniuerſi qui habitant in eo.

Quia ipſe ſuper maria fundauit eum: & ſuper flumina præparauit eum.

Quis aſcendet in montem Domini:

aut quis ſtabit in loco Sancto eius.

Innocens manibus & mundo corde: qui non accepit in vano animam ſuam, nec iurauit in dolo proximo ſuo.

Hic accipiet benedictionem à Domino & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo.

Hæc eſt generatio quærentium eũ: quærentium faciem Dei Iacob.

Attollite portas Principes veſtras, & eleuamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ.

Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.

Attollite portas Principes veſtras, & eleuamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ.

Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui, &c.

Antiphona. Hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo: quia hæc est generatio quærentium Dominum.

Postea dicitur Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson. Pater noster, secretò, interim corpus aspergit.

*Vers.* Et ne nos inducas in tentationem.
*Resp.* Sed libera nos à malo.
*Vers.* Me autem propter innocentiam suscepisti.
*Resp* Et confirmasti me in conspectu tuo in æternum.
*Vers.* Dominus vobiscum.
*Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens, & mitissime Deus, qui omnibus paruulis renatis fonte Bapti-

ptiſmatis dum migrant à ſæculo, ſine vllis eorum meritis vitam illico largiris æternam: ſicut animæ huius paruuli hodie credimus te feciſſe, fac nos, quæſumus Domine, per interceſsionē Beatæ Mariæ ſemper Virginis, & omnium Sanctorum tuorum, hic purificatis tibi mentibus famulari, & in paradiſo cum beatis paruulis perenniter ſociari. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

*Reſp.* Amen.

Dum portatur ad tumulum, & etiam ſi tunc non portetur, dicitur,

Antiph. Iuuenes & Virgines.

Pſal. Laudate Dominum de cœlis, &c. vt ſupra, fol: 160. & in fine Gloria Patri, &c. Et repetitur Antiphona.

Iuuenes & virgines, ſenes cum iunioribus laudent nomen Domini.

Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſon.
Kyrie eleyſon. Pater noſter, &c.

*Verſ.* Et ne nos inducas in tentationem.

*Reſp.* Sed libera nos à malo.

*Verſ.* Sinite paruulos venire ad me.

*Reſp.* Talium eſt enim regnum cœlorum.

*Verſ.* Dominus vobiſcum.

*Reſp.* Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, ſanctæ puritatis amator, qui animam huius paruuli ad cœlorum regnum hodie miſericorditer vocare dignatus es: digneris etiam Domine, ita nobiſcum miſericorditer agere, vt meritis tuæ ſanctiſsimæ Paſsionis, & interceſsione Beatæ Mariæ ſemper Virginis, & omnium Sanctorum tuorum, in eo-

dem regno nos cum omnibus Sanctis, & electis tuis, semper facias congaudere. Qui viuis & regnas cum Deo Patre, in vnitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

Resp. Amen.

Deinde Sacerdos corpus aspergat aqua benedicta, & thurificet, similiter & tumulum, postea sepeliatur.

Cùm autem à sepultura reuertuntur in Ecclesiam, dicatur Antiph. Benedicite, &c.

## Canticum trium puerorum. *Dan. 3.*

BEnedicite omnia opera Domini Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

Benedicite Angeli Domini Domino: benedicite cœli Domino.

Benedicite aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, Domino: benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite Sol & Luna Domino: benedicite ſtellæ cœli Domino.

Benedicite omnis imber & ros Domino: benedicite omnes ſpiritus Dei Domino.

Benedicite ignis & æſtus Domino benedicite frigus & æſtas Domino.

Benedicite rores & pruina Domino: benedicite gelu & frigus Domino.

Benedicite glacies & niues Domino: benedicite noctes & dies Domino.

Benedicite lux & tenebræ Domino: benedicite fulgura & nubes Domino.

Benedicat terra Dominum: laudet & ſuperexaltet eum in ſæcula.

Benedicite montes & colles Domino: benedicite vniuerſa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino: benedicite maria & flumina Domino.

Benedicite cæte, & omnia quæ mo-

uentur in aquis, Domino: benedicite omnes volucres cœli Domino.

Benedicite omnes beſtiæ & pecora Domino: benedicite filij hominum Domino.

Benedicat Iſraël Dominum: laudet & ſuperexaltet eum in ſæcula.

Benedicite Sacerdotes Domini Domino: benedicite ſerui Domini Domino.

Benedicite ſpiritus & animæ iuſtorum Domino: benedicite ſancti & humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Miſael, Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicamus Patrem, & Filium, cum ſancto Spiritu: laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula.

Benedictus es Domine in firmamento cœli: & laudabilis, & glo-

riosus, & superexaltatus in sæcula.

Antiphona.

BEnedicite Dominum omnes electi eius: agite dies lætitiæ, & confitemini illi.

Deinde ante Altare dicit Sacerdos.

*Vers.* Dominus vobiscum.
*Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEvs, qui miro ordine Angelorum ministeria, hominumq; dispensas, concede propitius, vt à quibus tibi ministrantibus in cœlo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur. Per Christum Dominum nostrum.

*Resp.* Amen.

# ALTERA PARS RITVALIS.

## DE CÆREMONIIS ECCLESIASTICIS.

### De Benedictionibus, Regulæ generales.

NOuerit Sacerdos, quarum rerum benedictiones ad ipsum, & quæ ad Episcopum suo iure pertineant: ne maioris dignitatis munera, temerè, aut imperitè, vnquam vsurpet propriâ authoritate.

In omni benedictione extra Missam, Sacerdos saltem superpelliceo & stolâ, pro ratione temporis vtatur, nisi aliter in Missali notetur.

Stando semper benedicat, & aperto capite.

In principio cuiusq; benedictionis dicat:

*Vers.* Adiutorium nostrum in nomine Domini.

*Resp.* Qui fecit cœlum & terram.

*Vers.* Dominus vobiſcum.
*Resp.* Et cum ſpiritu tuo.

Deinde dicatur Oratio propria, vna, vel plures, prout ſuo loco notatum fuerit.

Poſtea rem aſpergat aquâ benedictâ, & vbi notatum fuerit, pariter incenſet, nihil dicendo.

Cùm Sacerdos aliquid benedicturus eſt, habeat miniſtrum cum vaſe aquæ benedictæ, & aſpergillo, & cum hoc Rituali libro, ſeu Miſſali.

Caueat, ne benedictionis cauſa ponat aliquid indecens ſuper altare, veluti eſculenta: ſed quod eiuſmodi eſt, ponatur ſuper menſam, commodo loco paratam.

## Ordo ad faciendam aquam benedictam.

DIebus Dominicis, & quandocunq; opus fuerit, præparato ſale, & aqua munda benedicenda in Eccleſia, vel in Sacriſtia, Sacerdos cum ſuperpelliceo & ſtola violacea indutus, primò dicit:

*Vers.* Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
*Resp.* Qui fecit cœlum & terram.

Deinde

Deinde absolutè incipit Exorcismum salis.

EXorcizo te creatura salis, per Deum ✠ viuum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ Sanctum, per Deum qui te per Elisæum Prophetam in aquam mitti iussit, vt sanaretur sterilitas aquæ: vt efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium: & sis omnibus sumentibus te, sanitas animæ & corporis & effugiat atq; discedat à loco, in quo aspersum fueris, omnis phantasia & nequitia, vel versutia diabolicæ fraudis, omnisq; spiritus immundus adiuratus per eum, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem. *Resp.* Amen.

Oremus.

IMmensam clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter implora-

ploramus: vt hanc creaturam ſalis, quam in vſum generis humani tribuiſti, benedicere ✠ & ſanctificare ✠ tua pietate digneris; vt ſit omnibus ſumentibus ſalus mentis & corporis; & quicquid ex eo tactum, vel reſperſum fuerit, careat omni immunditia, omniq; impugnatione ſpiritualis nequitiæ. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Reſp.* Amen.

Exorciſmus aquæ, & dicatur ſine Oremus.

EXorcizo te creatura aquæ, in nomine Dei ✠ Patris omnipotentis, & in nomine ✠ Ieſu Chriſti Filij eius Domini noſtri, & in virtute Spiritus ✠ Sancti: vt fias aqua exorcizata ad effugandam omnem poteſtatem inimici, & ipſum inimicum eradicare, & explantare valeas cum Angelis ſuis apo-

ſtaticis · per virtutem eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſeculum per ignem. *Reſp.* Amen.

Oremus.

DEvs, qui ad ſalutem humani generis, maxima quæque Sacramenta in aquarum ſubſtantia condidiſti: adeſto propitius inuocationibus noſtris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato, virtutem tuæ benedictionis ✠ infunde, vt creatura tua myſteriis tuis ſeruiens ad abigendos dæmones, morboſq; pellendos, diuinæ gratiæ ſumat effectum: vt quicquid in domibus, vel in locis fidelium, hæc vnda reſperſerit, careat omni immunditia, liberetur à noxa; non illic reſideat ſpiritus peſtilens, non aura corrumpens; diſcedant omnes inſidiæ laten-

tis inimici; & si quid est, quod aut incolumitati habitantium inuidet, aut quieti, aspersione huius aquæ effugiat, vt salubritas per inuocationem sancti tui nominis expetita, ab omnibus sit impugnationibus defensa. Per Dominum nostrum, &c.

*Hic mittatur sal in aquam in modum crucis, dicendo semel:*

Commixtio salis & aquæ, pariter fiat; In nomine ✠ Patris, & Filij, ✠ & Spiritus ✠ sancti. *Resp.* Amen.
*Vers.* Dominus vobiscum.
*Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEvs, inuictæ virtutis auctor, & insuperabilis Imperij Rex, ac semper magnificus triumphator: qui aduersæ dominationis vires reprimis, qui inimici rugientis sæuitiam superas: qui

hostiles nequitias potenter expugnas; te, Domine, trementes & supplices deprecamur, ac petimus, vt hanc creaturam salis & aquæ dignanter aspicias, benignus illustres, pietatis tuæ rore sanctifices, vt vbicunq; fuerit aspersa, per inuocationem sancti tui nominis, omnis infestatio immundi spiritus abigatur, terrorq; venenosi serpentis procul pellatur: & præsentia sancti Spiritus nobis misericordiam tuam poscentibus vbique adesse dignetur. Per Dominum nostrum, &c. in vnitate eiusdem Spiritus sancti Deus, &c.

Post benedictionem aquæ, Sacerdos Dominicis diebus, antequam incipiat Missam, aspergit altare, deinde se, & ministros ac populum, prout in Missali præscribitur, & infra, sub titulo, iuxta ritum Prouinciæ habetur.

Postea Christi fideles possunt de ipsa aqua benedicta in vasculis suis accipere, & secum deferre ad aspergendos ægros, domos, agros, vineas, & a-

lia, & ad eam habendam in cubiculis suis, vt ea quotidie, & sæpius aspergi possint.

# IN FESTO S. STEPHANI.

## Benedictio Auenæ.

Habetur etiam prolixè in Sacerdotali Romano, & in hac Prouincia antiquitus die Festo S. Stephani obseruatur: fiat hoc modo:

*Vers.* Adiutorium nostrum in nomine Domini.
*Resp.* Qui fecit cœlum & terram.
*Vers.* Domine exaudi orationem meam.
*Resp.* Et clamor meus ad te veniat.
*Vers.* Dominus vobiscum.
*Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DOmine Deus omnipotens, creator cœli & terræ, Rex regum, & Dominus dominantium, exaudi nos famulos

tuos clamantes & orantes ad te, qui omnia de nihilo creâſti, & hoc pabulum cum cæteris creaturis ad vſus animalium, & ad eorum nutrimentum feciſti quæ quidem animalia in adiutorium & ſuſtentationem hominum creâſti: quiq; hodierna die petitionem S. Stephani prothomartyris adimplêſti: te humiliter deprecamur, vt hanc creaturam auenæ, quam ad vſus animalium, & ſanitatem eorum feciſti, per inuocationem Sancti nominis tui, & interceſsionem Beatæ Mariæ ſemper Virginis genitricis tuæ, & per merita Beati Stephani prothomartyris tui, cuius feſtum hodie recolimus; & per preces omnium Sanctorum bene ✠ dicere, & ſanctifi ✠ care digneris, vt animalia quæ ex ea guſtauerint, ſanitatem integraliter recipiant, per te Ieſu Chriſte, cuius ſolo verbo omnia reſtaurantur, ſaluator mun-

di, Rex æternæ gloriæ. Qui in Trinitate perfecta cum Patre & sancto Spiritu viuis & regnas, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Oremus.

DEvs, qui temporibus Eliæ Prophetæ, cœlum à nubibus restringendo clausisti, & rursum aperiendo te mirabilem ostendisti: exaudi preces plebis tuæ per Vnigenitum tuum, quem consubstantialem & coæqualem tibi in Diuinitate credimus, & per Spiritum sanctum Paraclitum, quem ab vtroq; procedere confitemur, & per merita beatissimi prothomartyris Stephani, cuius hodie festum celebramus, vt bene✠dicas, & sancti✠fices hanc auenam; vt quæcunq; animalia ex ea gustauerint, adiutorium sanitatis & incolumitatis recipiant, per te Domine Sancte Pater,

qui cum Filio, & Spiritu ſancto, viuis & regnas, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Et benedictio Dei ✠ Patris omnipotentis, & Filij, ✠ & Spiritus ✠ ſancti, deſcendat ſuper hanc creaturam auenæ. *Reſp.* Amen.

*Deinde aſpergatur aquâ benedictâ.*

## IN FESTO S. IOANNIS EVANGELISTÆ.

### Benedictio Vini.

IN Feſto S. Ioannis Euangeliſtæ, poſt Miſſam maiorem ante Euang: In principio. quod tunc omittitur per Sacerdotem celebrantem, retentis omnibus paramentis, vinum à populo oblatum, nec non alius potus in memoriam & honorem S. Ioannis, qui venenum innocuè ſumpſit, benedicitur hoc modo:

*Verſ.* Adiutorium noſtrum in nomine Domini.

*Resp.* Qui fecit cœlum & terram.
*Vers.* Dominus vobiſcum.
*Resp.* Et cum ſpiritu tuo.
*Vers.* Initium ſancti Euangelij ſecundùm Ioannem.
*Resp.* Gloria tibi Domine.

IN principio erat verbum,& verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. In ipſo vita erat,& vita erat lux hominum,& lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt Fuit homo miſſus à Deo , cui nomen erat Ioannes Hic venit in teſtimonium,vt teſtimonium perhiberet de lumine . vt omnes crederent per illum. Non erat ille lux,ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine: Erat lux vera,,quæ illuminat omnem hominem venientem in

hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit. In propria venit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Qui non ex ſanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Et Verbvm Caro Factvm Est, & habitauit in nobis. Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis. Reſp. Deo gratias.

Oremus.

PEr iſtos ſermones ſancti Euangelij, & per merita ſancti Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ, bene✠dicere, & conſe✠crare digneris, Domine Deus, dexterâ tuâ, hunc calicem vini & cuiuslibet potus: & præſta, vt omnes in te cre

dentes, & de calice isto bibentes, benedicantur & protegantur. Et sicut Beatus Ioannes de calice bibens venenum, illæsus omnino permansit; ita isti hodie in amore tuo, & Beati Ioannis, de calice isto bibentes, meritis ipsius ab omni ægritudine veneni, & noxiis quibusuis absoluantur, & corpore ac anima se offerentes, ab omni culpa liberentur. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

BEne ✠ dic Domine, hanc creaturam potus, vt sit remedium salutare omnibus sumentibus: & præsta, per inuocationem sancti nominis tui, vt quicunq; ex eo gustauerint, tàm animæ, quàm corporis sanitatem, te donante, percipiant. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Concludendo.

ET benedictio Dei omnipotentis Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus ✠ sancti, descendat super hanc creaturam vini, & cuiuslibet potus, & maneat semper.

*Postremò aquâ benedictâ aspergat.*

*Quod si benedictio ista fiat priuatim extra Missam, Sacerdos superpelliceo & stola indutus, eam super altare tectum conficiat, secundùm eandem formulam, incipiendo :* Adiutorium nostrum, &c. *vsq; ad finem. Nisi quod in locum Euangelij :* In principio erat verbum, &c *substituat Euangelium sequens.*

IN illo tempore : Nuptiæ factæ sunt in Cana Galileæ, & erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem & Iesus, & discipuli eius, ad nuptias Et deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum : Vinum non habent. Et dicit ei Iesus : Quid mihi & tibi est mulier ? Nondum venit hora mea. Dicit mater eius ministris : Quodcunq; dixerit vobis, facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ, secundùm

purificationem Iudæorum: capientes ſingulæ metretas binas vel ternas. Dicit eis Ieſus: Implete hydrias aquâ. Et impleuerunt eas vſq; ad ſummum. Et dicit eis Ieſus: Haurite nunc & ferte architriclino. Et tulerunt. Vt autem guſtauit architriclinus aquam vinum factam, & non ſciebat vnde eſſet; miniſtri autem ſciebant, qui hauſerant aquam: vocat ſponſum architriclinus, & dicit ei: Omnis homo primùm bonum vinum ponit; & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt. Tu autem ſeruâſti bonum vinum vſq; adhuc. Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galileæ, & manifeſtauit gloriam ſuam. Et crediderunt in eum diſcipuli eius.

## IN FESTO EPIPHANIÆ.

Benedictio Auri, Myrrhæ & Thuris.

*Vers.* Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
*Resp.* Qui fecit cœlum & terram.
*Vers.* Domine exaudi orationem meam.
*Resp* Et clamor meus ad te veniat.
*Vers.* Dominus vobiſcum.
*Resp* Et cum ſpiritu tuo.

BEne✠dico te creatura Auri, Thuris, & Myrrhæ: per Deum Patrem omnipotentem, per Ieſum Chriſtum filium eius vnicum: & Spiritum Paraclitum: per omnia ſancta ac ineffabilia nomina Dei: & per myſterium huius ſanctæ diei: quæ eadem munera in titulum regalem, & magnificentiam Sacerdotalem, ac ſepulturam Dominicam, tres Magi obtulerunt. Bene✠dico te, vt has virtutes in te ſuſcipias, & in te ſemper teneas: vt quicunq; te creaturam Auri, Thuris, & Myrrhæ,

ob reuerentiam Diuinæ maieſtatis, & ob corporis ac animæ ſuæ ſalutem circa ſe geſtauerint, aut quocunq; recto modo habuerint, diuina eos protegente potentia, ab omni periculo corporis & animæ ſint tuti vbique: mortem ſubitaneam, & morbos omnes effugiant: hoſtiumq́; viſibilium & inuiſibilium inſidias euadant: & omne deſiderium eorum proſperetur: & abſoluat eos Dominus ab omnibus triſtitijs, veneficijs, & cunctis aduerſitatibus. Per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c.

*Verſ.* Dominus vobiſcum.
*Reſp.* Et cum ſpiritu tuo.
*Verſ.* Benedicamus Domino.
*Reſp* Deo gratias.

Et benedictio Dei omnipotentis Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus ✠ ſancti,

descendat super nos, & super has creaturas, & maneat semper, Amen.

*Postremò aquâ benedictâ aspergat.*

## Benedictio Candelarum, extra diem Purificationis Beatæ Mariæ Virginis.

*Vers.* Adiutorium nostrum in nomine Domini.
*Resp.* Qui fecit cœlum & terram.
*Vers.* Dominus vobiscum.
*Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DOmine Iesu Christe, Fili Dei viui, benedic ✠ candelas istas supplicationibus nostris, infunde eis Domine per virtutem sanctæ Crucis ✠ benedictionem cælestem, qui eas ad repellendas tenebras humano generi tribuisti, talemq; benedictionem signaculo san-

ctæ Crucis ✠ accipiant, vt quibuscunq; locis accensæ, siue positæ fuerint, discedant principes tenebrarum, & contremiscant, & fugiant pauidi cum omnibus ministris suis ab habitationibus illis, nec præsumant ampliùs inquietare, aut molestare seruientes tibi omnipotenti Deo. Qui viuis & regnas, in sæcula sæculorum, *Resp.* Amen.

Postmodum aspergantur aqua benedicta.

## Benedictio domorum, in Sabbato Sancto Paschæ.

PArochus, seu alius Sacerdos superpelliceo & stola alba indutus, cum ministro deferente vas aquæ, ex benedictione fontium ante perfusionem Chrismatis acceptæ, visitat domos suæ Parochiæ, aspergens eas eadem aqua benedicta. Ingrediens domum, dicit: Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea.

Deinde aspergens loca præcipua domus, & eos qui habitant in ea, dicit Antiphonam:

Vidi aquam egredientem de templo à latere dextro, Alleluia. Et omnes, ad quos peruenit aqua iſta, ſalui facti ſunt, Alleluia. allel

Pſalmus. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia eius. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Sicut erat, in principio, & nunc, & ſemper, &c.

Repetitur Antiph: Vidi aquam, &c. Deinde dicit:

*Verſ.* Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, Alleluia.

*Reſp.* Et ſalutare tuum da nobis, Alleluia.

*Verſ.* Domine exaudi orationem meam.

*Reſp.* Et clamor meus ad te veniat.

*Verſ.* Dominus vobiſcum.

*Reſp.* Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

EXaudi nos Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & ſicut domos Hebræorum in exitu de Ægypto agni ſanguine linitas (quod Paſcha noſtrum, in quo immolatus eſt Chriſtus, figurabat) ab Angelo percutiente cuſtodiſti: ita mittere digneris ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui cuſtodiat, foueat, protegat, viſitet, atq; defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. *Reſp.* Amen.

## Alia benedictio domorum alio tempore facienda, cum aſperſione aquæ benedictæ.

PArochus, ſeu alij Sacerdotes, volentes aliquam particularem domum, vel generaliter domos fidelium alio tempore infra annum aſpergere aqua benedicta, ingredientes domum, dicant: Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea.

Deinde

Deinde loca aſpergendo, dicant Antiphonam:

Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor: lauabis me, & ſuper niuem dealbabor. Pſal. Miſerere mei Deus: ſecundùm magnam miſericordiam tuam. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Sicut erat in principio, & nunc, &c.

Et repetitur Antiphona. Aſperges me Domine, &c.

*Verſ.* Domine exaudi orationem meam.
*Reſp.* Et clamor meus ad te veniat.
*Verſ.* Dominus vobiſcum.
*Reſp.* Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

EXaudi nos Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui cuſtodiat, foueat, protegat,

visitet, atq; defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Deinde aspergat aquâ benedictâ.

Benedictio loci.

*Vers.* Adiutorium nostrum in nomine Domini.

*Resp.* Qui fecit cœlum & terram.

*Vers.* Domine exaudi orationem meam.

*Resp.* Et clamor meus ad te veniat.

*Vers.* Dominus vobiscum.

*Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

BEnedic✠ Domine Deus omnipotens locum istum, vel domum istā, vt sit in eo, vel in ea, sanitas, castitas, victoria, virtus, humilitas, bonitas, & mansuetudo, plenitudo legis, & gratia-

rum

rum actio Deo Patri, & Filio, & Spiritui sancto; & hæc benedictio maneat super hunc locum, & super habitantes in eo, nunc & semper. *Resp.* Amen.

Et aspergat aquâ benedictâ.

## Alia benedictio domus nouæ.

*Vers.* Adiutorium nostrum in nomine Domini.
*Resp.* Qui fecit cœlum & terram.
*Vers.* Dominus vobiscum.
*Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

TE Deum Patrem omnipotentem. suppliciter exoramus pro hac domo, & habitatoribus eius, ac rebus, vt eam benedicere, ✠ & sanctificare, ✠ ac bonis omnibus ampliare digneris: tribue eis, Domine, de rore cœli abundantiam, & de pinguedine terræ vitæ

ſubſtantiam,& deſideria voti eorum ad effectum tuæ miſerationis perducas. Ad introitum ergo noſtrum benedicere,✠ & ſanctificare,✠ digneris hanc domum, ſicut benedicere dignatus es domum Abraham, Iſaac, & Iacob · & intra parietes domus iſtius, Angeli tuæ lucis inhabitent, eamq; & eius habitatores cuſtodiant. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Reſp.* Amen.

Deinde aſpergat àqua benedictâ.

## Benedictio Thalami.

*Verſ.* Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
*Reſp.* Qui fecit cœlum & terram.
*Verſ.* Dominus vobiſcum.
*Reſp.* Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

BEnedic✠ Domine, thalamum hunc, vt omnes habitantes in eo, in tua

pace consistant, & in tua voluntate permaneant, & senescant, & multiplicentur in longitudine dierum, & ad regna cœlorum perueniant. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

*Postea aspergatur thalamus Aqua-benedicta.*

## Benedictio nouæ Nauis.

*Vers.* Adiutorium nostrum in nomine Domini.
*Resp.* Qui fecit cœlum & terram.
*Vers.* Dominus vobiscum.
*Resp.* Et cum spiritu tuo.

### Oremus.

PRopitiare Domine supplicationibus nostris, & benedic ✠ nauem istam dextera tua sancta, & omnes, qui in ea vehentur; sicut dignatus es benedicere arcam Noë ambulantem in diluuio: porrige eis Domine dexteram tuam,

ſicut porrexiſti beato Petro ambulanti ſupra mare; & mitte ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui liberet, & custodiat eam ſemper à periculis vniuerſis, cum omnibus, quæ in ea erunt: & famulos tuos repulſis aduerſitatibus portu ſemper optabili, curſuq́; tranquillo tuearis, tranſactiſq́; ac rectè perfectis negotijs omnibus, iterato tempore ad propria cum omni gaudio reuocare digneris. Qui viuis & regnas, &c.

*Aſpergat nauim aqua benedicta.*

## Benedictio communis ſuper fruges, & vineas.

*Verſ.* Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
*Reſp.* Qui fecit cœlum & terram.
*Verſ.* Domine exaudi orationem meam.

*Resp.* Et clamor meus ad te veniat.
*Vers.* Dominus vobiſcum.
*Resp.* Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

ORemus pietatem tuam omnipotens Deus, vt has primitias creaturæ tuæ, quas aëris & pluuiæ temperamento nutrire dignatus es, benedictionis tuæ imbre perfundas; & fructus terræ tuæ vſque ad maturitatem perducas. Tribuas quoq; populo tuo de tuis muneribus tibi ſemper gratias agere, vt à fertilitate terræ eſurientium animas bonis affluentibus repleas, & egenus & pauper laudent nomen gloriæ tuæ. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Resp.* Amen.

*Aſpergat illas Aqua benedicta.*

# BENEDICTIONES ESCVlentorum, præſertim in Paſcha.

## Benedictio Agni Paſchalis

*Verſ.* Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
*Reſp.* Qui fecit cœlum & terram.
*Verſ.* Dominus vobiſcum.
*Reſp.* Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DEvs, qui per famulum tuum Moyſen, in liberatione populi tui de Ægypto, agnum occidi iuſsiſti, in ſimilitudinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & vtroſq; poſtes domorum de ſanguine eiuſdem Agni perungi præcepiſti ita benedicere ✠ & ſanctificare ✠ digneris hanc creaturam carnis, quam nos famuli tui ad laudem tuam ſumere deſideramus, per reſurrectionem

eiuſdem

eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui tecum viuit,&c. *Reſp.* Amen.

Et mox aſpergat Aqua benedicta.

## Benedictio Ouorum.

*Verſ.* Adiutorium noſtrum in nomine Domini.

*Reſp.* Qui fecit cœlum & terram.

*Verſ.* Dominus vobiſcum.

*Reſp.* Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

SVbueniat, quæſumus Dñe, tuæ benedictionis ✠ gratia, huic ouorũ creaturæ, vt cibus ſalubris fidelibus tuis, in tuarum gratiarum actione ſumentibus, ob reſurrectionem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui tecum viuit, & regnat, in ſæcula ſæculorum. *Reſp.* Amen.

Aſpergat aqua benedicta.

## Benedictio Panis.

*Vers.* Adiutorium noſtrum in nomine Domini.

*Resp.* Qui fecit cœlum & terram.

*Vers.* Dominus vobiſcum.

*Resp.* Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DOmine Ieſu Chriſte, panis Angelorum, panis viuus æternæ vitæ, benedicere ✠ dignare panem iſtum, ſicut benedixiſti quinq; panes in deſerto, vt omnes ex eo guſtantes, inde corporis & animæ percipiant ſanitatem. Qui viuis, & regnas, in ſæcula ſæculorum.

*Resp.* Amen.

Et aſpergat aqua benedicta.

Alia benedictio panis.

*Vers.* Adiutorium noſtrum in nomine Domini.

*Resp.* Qui fecit cœlum & terram.

*Verſ.* Dominus vobiſcum.
*Reſp.* Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DOmine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere ✠ digneris hunc panem tua ſancta ſpirituali benedictione vt ſit omnibus ſumentibus ſalus mentis, & corporis, atq; contra omnes morbos, & vniuerſas inimicorum inſidias tutamen. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, panem viuum, qui de cœlo deſcendit, & dat vitam, & ſalutem mundo: & tecum viuit, & regnat, in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum *Reſp.* Amen.

Aſpergat aquâ benedictâ.

Benedictio nouorum fructuum.

*Verſ.* Ad iutorium noſtrum in no-

mine Domini.
*Resp.* Qui fecit cælum & terram.
*Vers.* Dominus vobiscum.
*Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

BEnedic ✠ Domine, hoc nouos fructus N. & præsta: vt qui ex eis in tuo sancto nomine vescentur, corporis & animæ salutem potentur. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Et aspergat aquâ benedictâ.

## Benedictio ad quodcunq; comestibile.

*Vers.* Adiutorium nostrum in nomine Domini.
*Resp.* Qui fecit cœlum & terram.
*Vers.* Dominus vobiscum.
*Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

BEnedic ✠ Domine, creaturam istam N. vt sit remedium salutare generi

humano: & præſta, per inuocationem ſancti nominis tui, vt quicunque ex ea ſumpſerint, corporis ſanitatem, & animæ tutelam percipiant. Per Christum Dominum noſtrum. *Reſp.* Amen.

*Aſpergat aquâ benedictâ.*

## Benedictio Olei ſimplicis.

*Verſ.* Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
*Reſp.* Qui fecit cœlum & terram.

### Exorciſmus.

EXorcizo te creatura olei, per Deum Patrem ✠ omnipotentē, qui fecit cœlū & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt. Omnis virtus aduerſarij, omnis exercitus diaboli, & omnis incurſus, omne phantaſma ſathanæ eradicare, & effugare ab hac creatura olei, vt fiat o-

mnibus, qui eo vſuri ſunt, ſalus mentis & corporis, in nomine Dei Patris ✠ omnipotentis, & IESV ✠ Chriſti filij eius Domini noſtri, & Spiritus ſancti ✠ paracliti, & incharitatem eiuſdem Domini noſtri IESV Chriſti, qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſæculum per ignem. *Reſp.* Amen.

*Verſ.* Domine exaudi orationem meam.

*Reſp.* Et clamor meus ad te veniat

*Verſ.* Dominus vobiſcum.

*Reſp.* Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DOmine Deus omnipotens, cui aſtat exercitus Angelorum cum tremore, quorum ſeruitium ſpirituale cognoſcitur, dignare reſpicere, benedicere ✠ & ſanctificare ✠ hanc creaturam olei, quam ex oliuarum ſucco eduxiſti, & ex

eo infirmos inungi mandâſti, quatenus ſanitate percepta, tibi Deo viuo & vero gratias agerent: præſta, quæſumus, vt hi, qui hoc oleo, quod in tuo nomine benedicim⁹, ✠ vſi fuerint, ab omni languore, omniq́ue infirmitate, atq; cunctis inſidijs inimici liberentur, & cunctæ aduerſitates ſeparentur à plaſmate tuo, quod pretioſo ſanguine Filij tui redemiſti, vt nunquã lædatur à morſu ſerpentis antiqui. Per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum viuit regnat in vnitate, &c.

*Aſpergat oleum aquâ benedictâ*

## IN FESTO S. AGATHÆ.

### Benedictio panis, & aquæ, contra ignis periculum.

*Sacerdos celebrans Miſſam de Feſto, in Canone maiori, antequam proferat illa verba:* Per quem hæc omnia Domine, ſemper bona creas, : *conuerſus ad populum, panem & aquam tenentem dicit Pſal: 66.*

DEvs misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.

Vt cognoscamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur & exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate: & gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum suum.

Benedicat nos DEvs, DEvs noster benedicat nos DEvs: & metuant eum omnes fines terræ

Gloria Patri, & Filio, &c.

Sicut erat in principio, &c.

Kyrie eleison. Christe eleison.

Kyrie eleison. Pater noster, &c.

Et ne nos inducas in tentationē, &c.

*Vers.* Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
*Resp.* Qui fecit cœlum & terram.
*Vers.* Sit nomen Domini benedictum.
*Resp.* Ex hoc nunc & vſque in ſæculum.
*Vers.* Ora pro nobis beata Agata.
*Resp.* Vt digni efficiamur, &c.
*Vers.* Domine exaudi orationem meam.
*Resp.* Et clamor meus ad te veniat.
*Vers.* Dominus vobiſcum.
*Resp.* Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DOmine IESV Chriſte Fili Dei viui, qui es panis viuus, qui de cœlo deſcendiſti, bene ✠ dic, & ſanctifica ✠ hos panes, & aquam in honorem Beatæ Agathæ Virginis & Martyris; vt vbi-

cunque contra, ignem comburentem missa vel posita fuerint, illicò ignis euanescat, & penitus extinguatur. Qui viuis & regnas cum Deo Patre, &c.

Benedictio Dei omnipotentis Patris ✠ & Filij, ✠ & Spiritus ✠ sancti, per intercessionem Beatæ Agathæ Virginis & Martyris tuæ, descendat super has creaturas, & maneat semper. Amē.

Postea aspergat ea aqua benedictâ, reuersus ad altare, prosequitur in Canone, vbi desierat: Per quem hæc omnia Domine, semper bona creas, &c vsque ad finem Missæ. Hoc pane vescantur eodem die initio comestionis, in domo constituti. Aquam verò seruent, vt tempore necessitatis in ignem iniiciatur.

# DE PROCESSIONIBVS.

PVblicæ, Sacræque Processiones seu supplicationes, quibus ex antiquissimo Sanctorum Patrum instituto, Catholica Ecclesia, vel ad excitandum fidelium pietatem, vel ad commemoranda Dei be-

neficia, eique gratias agendas, vel ad Diuinum auxilium implorandum, vti consueuit, qua par est religione, celebrari debent: continent enim magna diuina mysteria, ac salutares Christianæ pietatis fructus, eas piè exequentes, à Deo consequuntur; de quibus fideles præmonere & erudire, quo tempore magis opportunum fuerit, Parochorum officium est.

Videant inprimis Sacerdotes, aliique Ecclesiastici Ordinis, vt in his Processionibus ea modestia ac reuerentia, tum ab ipsis, tum ab alijs adhibeatur, quæ pijs & religiosis huiusmodi actionibus maximè debetur.

Omnes decenti habitu, superpelliceis, vel alijs sacris vestibus, sine galeris, nisi pluuia cogente, induti, grauiter, modestè, ac deuotè, bini suo loco procedentes, sacris precibus ita sint intenti, vt remoto risu, mutuoque colloquio, & vago oculorum aspectu, populum etiam ad piè deuotèque precandum inuitent.

Laici à Clericis, fœminæ à viris separatæ, orantes prosequantur.

Præferatur Crux, & vbi fuerit consuetudo, vexillum sacris imaginibus insignitum, non tamen factũ militari seu triangulari forma.

Edendi ac bibendi abusum, secumuè esculenta & poculenta deferēdi in sacris Processionibus, agrisque lustrandis, & suburbanis Ecclesiis visitandis, tollere Parochi studeant: ac fideles præsertim die Dominica, quæ proximè Rogationes antecedit, quàm hæc dedeceat corruptela, sæpiùs admoneant.

Processiones priùs fieri debent, deinde Missa solenniter celebrari: nisi aliter ob grauem causam, interdum Ordinario, vel Clero videatur.

Processiones autem quædam sunt ordinariæ, quæ fiunt certis diebus per annum, vt in Festo Purificationis Beatæ MARIÆ semper Virginis, in Dominica Palmarum, & in Litaniis maioribus in festo S. Marci: & in minoribus Rogationum, triduo ante Ascensionem Domini; & in die festo Corporis Christi, vel aliis diebus pro consuetudine Ecclesiarum.

Quædam verò sunt extraordinariæ, vt quæ variis ac publicis Ecclesiæ de causis in dies indicuntur.

## DE PROCESSIONIBVS Dominicis diebus, iuxta ritum antiquum Prouinciæ.

ANte Missam maiorem Sacerdos celebraturus super albam, cum reliquis pluuiali coloris tunc competentis, indutus, ritu solito procedit: & ante

altare inclinatus, vel si in altari fuerit Corpus Christi, genuflexus erigit sese; & accepto à Diacono, vel Ministro, aspersorio, aquâ benedictâ moderatè (quod in aliis aspersionibus obseruabit) imbuto, inchoabit Ant.

Asperges me.

Choro autem, vt infra, reliquum prosequente; ipse mox factâ ante altare reuerentia, aspergat illud ter, nimirum in medio, & vtroque cornu Euangelij & Epistolæ. Deinde aspergit seipsum & ministros, ex quibus vni reddit aspersorium, ad aspergendum populum, vel in defectu ministri, ipse aspergat, recitando interim, si placet, reliquum Ant: prædictæ, quæ talis est:

Asperges me Domine, hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor. Psal. Miserere mei DEvs, secundum magnam misericordiam tuam. Vers. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorũ, Amen. Et repetitur Antiph. Asperges me.

Finita per chorum Antiphona, celebrans ſtando verſus altare, dicit voce canora:

*Verſ.* Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.
*Reſp.* Et ſalutare tuum da nobis.

Oremus.

PRæſta nobis, quæſumus Domine, hac aqua aſperſis, ſanitatem corporis, integritatem mentis, tutelam ſalutis, ſecuritatem ſpei, corroborationem fidei. Per Chriſtum, &c. *Reſp.* Amen.

Hoc modo peragitur aſperſio per totum Annũ, exceptis Dominicis in Paſſiones, & Palmarum: in quibus poſt verſum, Miſerere. non dicitur Gloria Patri, ſed loco eius reperitur integra Antiph. Aſperges me.

A Dominica Paſchæ, vſq; ac Domin: Pentecoſtes incluſiuè, loco Aſperges me canitur Antiphona.

Vidi

Vidi aquam.

Egredientem de templo à latere dextro, Alleluia. Et omnes ad quos peruenit aqua iſta, ſalui facti ſunt, & dicent, Alleiuia, Alleluia. *Pſal.* Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia eius. *Verſ.* Gloria Patri. Et repetitur Antiphona: Vidi aquam, Finita aſperſione, vt ſupra, & Antiphona, dicitur.

*Verſ.* Domine, apud te eſt fons vitæ, Alleluia.

*Reſp.* Et in nomine tuo videbimus lumen, Alleluia.

Oremus.

COncede, quæſumus omnipotens Deus, vt qui Paſchalia feſta peragimus, cæleſtibus, deſideriis accenſi, fontem vitæ ſitiamus Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Reſp.* Amen.

Dicta Oratione, propter vniuersalis Ecclesiæ vsum in hac Prouincia continuatum, retineatur Processio: quæ secundùm Durandum, in suo Rationali, *lib. 6. c. 88.* continet memoriam Dominicæ Resurrectionis tali die factæ. In hac autem Processione aspersio fit pauimenti templi, vel cæmeterij, & cantus Responsorij quod in officio illius diei est vltimum: quorum frequentissimum, Duo seraphim: infra adnotatur. Deinde decantetur Antiphona: Pax æterna: sine temerarijs additionibus, vt infra adnotatur. Decursus autem Processionis, vel stationis non abs re est, modo solito Antiphona de Patrono Ecclesiæ, vel Antiphona Saluator mundi finiatur.

Respons: in Processionibus, à Dom: Trinit: ad Aduen: & in Dominicis quæ supersunt, post octa: Epiph: ad Septuages: decantandum.

DVo Seraphim clamabant alter ad alterum. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Plena est omnis terra gloria eius. *Vers.* Tres sunt

qui

qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbũ, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnũ ſunt. Sanctus, &c Gloria Patri, & Filio, & Spiritu tui ſancto. Plena.

Poſtea in medio Eccleſiæ ſit ſtatio, in qua canitur Antiph: ſequens, vſque ad Dominicam vltimam Octobris.

PAx æterna, Chor. Ab æterno Patre huic domui; pax perennis verbũ Patris, ſit pax huic domui, pacem pius conſolator huic præſtet domui.

*Verſ.* Beati qui habitant in domo tua Domine.

*Reſp.* In ſæcula ſæculorum laudabunt te.

Oremus.

EXaudi nos Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & mit-

tere digneris ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui cuſtodiat, foueat, protegat, viſitet, atq; defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Reſp.* Amen.

In Dedicatione Templi & Octaua eius, hæc Oratio dicitur.

VEniat, quæſumus Domine, ſuper hanc habitationis domum charitas miſericordiæ tuæ, vt ab omnibus hic inuocantibus nomen tuum, protectionis tuæ ſentiatur auxilium. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Reſp.* Amē.

## DE PROCESSIONE
### In die Purificationis Beatæ Mariæ Virginis.

Completa benedictione, & diſtributione candelarum, vt in Miſſali Romano reformato, canitur Antiphona.

Lumen ad reuelationem gentium.

Chorus prosequitur.

Et gloriam plebis tuæ Israel.

Nunc dimittis, &c. cum Gloria.

Postea fit Processio. Et primò celebrans imponit incensum in thuribulum. Et Diaconus vertens se ad populum, dicit in tono: Procedamus in pace. Et chorus respondet: In nomine Christi, Amen.

Præcedit thuriferarius cum thuribulo fumigante: deinde Subdiaconus paratus, deferens Crucem medius inter duos Acolythos, cum candelabris, & candelis accensis: sequitur Clerus per ordinem, vltimò celebrans cum Diacono à sinistris, omnes cum candelis accensis in manibus, & cantantur Antiphonæ sequentes.

Ant. ADorna thalamum tuum Sion, & suscipe Regem Christum: amplectere Mariam, quæ est cœlestis porta: ipsa enim portat Regem gloriæ noui luminis: subsistit virgo, adducens manibus filium ante luciferum, geni-

tum; quem accipiens Simeon in vlnas ſuas, prædicauit populis Dominũ eum eſſe vitæ & mortis, & Saluatorẽ mundi.

Alia Ant. RESponſum accepit Simeon à Spiritu ſancto, non viſurum ſe mortem, niſi videret Chriſtum Domini: & cùm inducerent puerum in templum, accepit eum in vlnas ſuas; & benedixit Deum, & dixit Nunc dimittis ſeruum tuum, Domine in pace. *Verſ.* Cùm inducerent puerum Ieſum parentes eius, vt facerent ſecundùm conſuetudinem legis pro eo: ipſe accepit eum in vlnas ſuas.

Ingrediendo Eccleſiam, cantatur Reſponſorium.

OBtulerunt pro eo Domino par turturum aut duos pullos collumbarum. Sicut ſcriptum eſt in lege Domini. *Verſ.* Poſt quam autẽ impleti ſunt dies purgationis Mariæ ſecundùm le-

gem Moysi, tulerunt illum in Ierusalē: vt sisterent eum Domino. Sicut. *Vers.* Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Sicut.

Finita Processione, celebrans & Ministri, depositis violaceis, accipiunt paramenta alba pro Missa. Et candelæ tenentur in manibus accensæ, dum legitur Euangelium, & iterum ad eleuationem Sacramenti, vsque ad Communionem.

# DE PROCESIONE
## die Cinerum.

Celebraturus Missam maiorem, loco planetæ, pluuiali violaceo, vel si de est, obscurioris coloris indutus, procedit more solito ad altare: vbi debet esse præparatum vasculum sufficiens cineris, ex palmis seu ramis, & frondibus (si possunt haberi) præteriti anni benedictis. Primò igitur, genuflexus, in pede altaris inchoat Antiphonam.

Exaudi nos Domine.

Prosequitur Chorus.

Quoniam benigna eſt miſericordia tua: ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum, reſpice nos Domine. Pſal. Saluum me fac Deus: quoniam intrauerunt aquæ vſq; ad animam meam. Veſp. Gloria Patri. Et repetitur Antiphona. Exaudi nos Domine. De inde in tono, quo dicuntur Orationes per horas diei, dicitur

Verſ. Dominus vobiſcum.
Reſp. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, parce pœnitentibus, propitiare ſupplicantibus; & mittere digneris ſanctũ Angelũ tuũ de cœlis, qui bene ✠ dicat, & ſancti ✠ ficet hos cineres, vt ſint remedium ſalubre omnibus nomen ſanctum tuum humiliter implorantibus, ac ſemetipſos pro conſcientia delicto-

rum

rum ſuorum accuſantibus, atq́ue ante conſpectum diuinæ clementiæ tuæ facinora ſua deplorantibus, vel ſereniſsimam pietatem tuam ſuppliciter obnixeq́ue flagitantibus: & præſta, per inuocationem ſanctiſsimi nominis tui, vt quicunq́ue eos ſuper ſe aſperſerint, pro redemptione peccatorũ ſuorum, corporis ſanitatem, & animæ tutelam percipiant. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Oremus.

DEvs, qui non mortem, ſed pœnitentiam deſideras peccatorum, fragilitatem conditionis humanæ benigniſſimè reſpice, & hos cineres, quos cauſa proferendæ humilitatis, atq́ue promerendæ veniæ, capitibus noſtris imponi decernimus, bene ✠ dicere pro tua pietate dignare: vt qui nos cinerem eſſe, &

ob prauitatis noſtræ meritum, in puluerem reuerſuros cognoſcimus; peccatorum omnium veniam, & præmia pœnitentibus repromiſſa, miſericorditer conſequi mereamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Oremus.

DEvs qui humiliatione flecteris, & ſatisfactione placaris: aurem tuæ pietatis inclina precibus noſtris, & capitibus ſeruorum tuorum, horum cinerũ aſperſione attactis, effunde propitius gratiam tuæ bene ✠ dictionis; vt eos, & ſpiritu compũctionis repleas, & quæ iuſtè poſtulauerint, efficaciter tribuas, & cõceſſa perpetua ſtabilitate intactos manere decernas. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Oremus.

Omni-

O Mnipotens ſempiterne Deus, qui Niniuitis in cinere & cilicio pœnitentibus, indulgētiæ tuæ remedia præſtitiſti : concede propitius: vt ſic eos imitemur habitu, quatenus veniæ proſequamur obtentu. Per Dominū. &c.

Completa Cinerum benedictione, primò imponitur cinis Sacerdoti celebraturo Miſſam ab alio Sacerdote, ſi adeſt: alioquin Sacerdos ipſemet genibus flexis coram altari ſibiipſi cineres imponit: & cantatur ſtatim à Choro Antiphona.

I mmutemur habitu, in cinere & cilicio, ieiunemus & ploremus ante Dominum: quia multum miſericors eſt dimittere peccata noſtra Deus noſter.

Alia Antiphona.

I nter veſtibulum & altare, plorabunt Sacerdos miniſtri Domini, & dicent: parce Domine, parce populo tuo: & ne diſsipes ora canentiū te Domine,

## Sequitur Responsorium.

Emendemus in melius, quæ ignoranter peccauimus: ne subitò præocupati die mortis, quæramus spatiū pœnitentiæ, & inuenire non posſimus. Attende Domine, & miserere: quia peccauimus tibi. *Vers.* Adiuua nos Deus salutaris noster: & propter honorem nominis tui Domine libera nos. Attēde Domine. *Vers.* Gloria, &c. Attende.

Sacerdos verò, dum cantantur Antiphonæ & Responsoriū, primò ministris stantibus genibus flexis coram altari, imponit cinerem, dicens.

Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris

Postea veniunt alij, primò clerus per ordinem deinde populus: & genibus flexis ante altare, sigillatim recipiunt cineres à Sacerdote, vt dictum est de ministris. Completa Cinerum datione dicitur: Dominus Vobiscum.

Oremus.

Conce

COncede nobis, Domine, præsidia militiæ Christianæ sanctis inchoare ieiunijs: vt contra spirituales nequitias pugnaturi, continentiæ muniamur auxilijs. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, &c. *Resp.* Amen.

*Postea iuxta antiquum morem huius Prouinciæ, singulis ferijs secundis, quartis & sextis, quando officium sit de feria, vel nisi sit festum celebre vel duplex, & in cantu solenni, ordine consueto peragitur Processio intra vel circa Ecclesiam, decantando Litanias de omnibus Sanctis.*

## DOMINICA RESVRRECTIONIS.

### Apertio Sepulchri, & Processio.

*IN nocte Resurrectionis Dominicæ circiter medium noctis, vel secundùm exigentiam officiorum Diuinorum, antequam ad Matutinas vel quispiam alius pulsus sit, Prælatus cum aliis Presbyteris induti albis solemnioribus, vel superpelliceis, stolis, & pluuialibus seu cappis, cum ministris in-*

censum & aquam benedictam ferentibus, vexillis præterea & accensis candelis præcedētibus, ex Choro in silentio rectà ad sepulchrum vadunt. Ad quod cum præuenerint, flexis genibus, sequentem Antiphonam cum Psalmis cantent, voce primò submissa.

GLoria tibi Trinitas æqualis, vna Deitas: & ante omnia secula, & nunc, & in perpetuum Psalmus.

LAudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia eius: & veritas Domini manet in æternum.

Gloria Patri, & Filio, &c.

DOmine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me? multi insurgunt aduersum me; Multi dicunt animæ meæ: non est salus ipsi in Deo eius.

Tu autem Domine susceptor me-

us es: gloria mea, & exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamaui: & exaudiuit me de monte sancto suo.

Ego dormiui & soporatus sum, & exurrexi: quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me, exurge Domine: saluum me fac Deus meus,

Quoniam tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa: dentes peccatorum contriuisti.

Domini est salus: & super populū tuum benedictio tua.

Gloria Patri & Filio, &c.

Repetitur Antiphona.

Deinde dicit Prælatus. Kyrie eleison. *Resp.* Christe eleison. Kyrie eleisō. Pater noster. Aue Maria.

*Vers.* Et ne nos inducas in tentationem, &c.

*Vers.* In resurrectione tua, Christe Alleluia,

*Resp.* Cœlum & terra lætantur, Al.

*Vers.* Dominus Vobiscum.

*Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DOmine IEsv Christe, Rex gloriæ, humilis in passione, potens in resurrectione, mortis inferniq; destructor, quod olim per Prophetas in scripturis promisisti, hodie deuicta morte resurgendo implesti; propter quod omnis cœlestis militiæ Spiritus, & totus terrarum orbis profuso mentis gaudio, exultando te resurgentem adorant, & glorificant; Tartareæ quoque nimirum formidant, ac tremunt potestates. Nos autem tuæ dignationis humiles seruuli, gloriosæ resurrectionis tuæ memoriam vnanimi voto de-

uotisſimè celebrantes, ecce frequentes aſsumus, & exuberantis tuæ in nos charitatis memores, pias non continemus lachrymas. Reſpice, quæſumus, humilitatis noſtræ obſequia: & præſta, vt deterſis peccatorum noſtrorum ſordibus, in his Paſchalibus ſolennijs tibi reſurgere, ac ſanctiſsimæ paſsionis ac reſurrectionis tuæ, fructus capaces eſſe mereamur. Qui viuis & regnas Deus, in ſæcula ſæculorum, Amen.

Finita oratione, & ſemotis ſigillo & linteis, Sacerdos aſpergit & incenſat ſepulchrum, ac promit crucem ſeu imaginem Reſurrectionis, & tradit referendas in proceſsione miniſtris: ipſe verò eleuans Sacroſanctam Euchariſtiam, incipit ſequens Reſpōſorium.

CVm Rex gloriæ.

Choro apertis ac iucundis vocibus ad finē proſequente, per Eccleſiam ſimel vel ter, donec can-

tus finitur, Processionem peragendo, nec non campanularum per præcedentes pueros superpelliceis indutos, tinnitu, & maiorum in turri, pro cuiusque loci consuetudine, campanarum pulsu resonantia, Clero præcedente, & populo candelis accensis sequente.

Finito Responsorio, populus cantat: Christus zmartwych wstał iest / rc. vel Germanicè Christ ist erstanden / rc. & reliqua secundùm locorum consuetudinem.

Facto circuitu, Crucifixum in summo summi altaris gradu Sacerdotes tenentes, & sursum eleuantes, ter incipiunt Antiph: Surrexit Dominus de sepulchro. Chorus prosequitur. Qui pro nobis pependit in ligno, Alleluia.

Vers. In resurrectione tua Christe. Alleluja.

Resp. Cœlum & terra lætantur, Al.

Oremus.

DEvs, qui nos Resurrectionis Dominicæ annua solennitate lætificas: concede propitius, vt per tem-

poralia festa, quæ agimus, peruenire ad gaudia æterna mereamur. Per eundem, &c.

Sub finem Antiphonæ, Sacerdos reponat Eucharistiam in medio altari, inchoato Matutino, ad Ciborium, cum reliqua, reuerenter deportandam. Alij etiam statuunt Crucifixum vnà cum imagine Resurrectionis ( vbi habetur ) in altari, vel in aliquo honorato & edito loco circa altare. Quibus peractis, Matutinæ solenniter continuentur.

Vbi autem vnus tantum Sacerdos fuerit, solus perficiat supra dicta.

Finito Matutino, canitur Ant: de Beata Virgine

Regina cœli lætare, Alleluia, &c.

*Vers.* Gaude & lætare Virgo Maria, Alleluia.

*Resp.* Quia surrexit Dominus verè, Alleluia.

Oremus.

DEvs, qui per resurrectionem Filij tui Domini nostri Iesu Christi, fami-

liam tuam lætificare dignatus es: præsta quæsumus, vt per eius genitricem Virginem Mariam, perpetuæ capiamus gaudia vitæ. Per eundem, &c. *Resp.* A.

*Finaliter canitur sequentia, seu prosa.* Victimæ Paschali laudes, &c. *Post quemlibet versum populus in vulgari suo, canit canticum lætitiæ de Resurrectione Domini:* Chrystus zmartwych wstał iest/ rc. Christ ist erstanden/ rc.

# PROCESSIO
## Paschatis ante maiorem Missam.

*PRælatus cum ministris ad maius altare accedit, & facit reuerentiam ante illud, & statim fit aspersio cum cantu Responsorij:* Vidi aquam. *suisque Versu & Oratione, vti dictum est suprà de Processionibus in Dominicis diebus. Deinde statim incipitur responsorium:* Cùm Rex gloriæ, &c. *quod canit Chorus stando, vsq; dum dicitur:* Aduenisti. *Tunc progrediatur Processio è choro in cæmeterium cœlo sereno (aliâs intra Ecclesiã fit processio) præcedentibus vexilis & ceroferariis, subsequenti verò imagine Resurrectionis à dextris, Crucifixi verò à sinistris. Quod in aliis Processioni-*

bus tempore Paſchali obſeruetur. In quibus per partes à Cantoribus Hymnus ſequens decantetur,

Salue feſta dies toto venerabilis æuo, quâ Deus infernum vicit, & aſtra tenet.

Ecce renaſcentis teſtatur gratia mundi, omnia cum Domino dona rediſſe ſuo.

Namque triumphanti poſt triſtia tartara, Chriſto vndiq́ue fronde nemus, gramina flore fauent.

Legibus inferni oppreſsis, ſuper aſtra meantem laudant rite Deum, lux, polus, arua, fretum.

Qui crucifixus erat Deus, ecce per omnia regnat, dantq́ue creatori cuncta creata precem.

Dum hi verſus canuntur, tota Proceſſio ſubſiſtit. Poſt quem libet autem verſum progrediente Proceſſione, populus vulgarem cantum lætitiæ, de Reſurrectione Chriſti, ſuccinit.

Deinde fit vltima ſtatio in medio Eccleſiæ, vbi

canitur Antiphona: Sedit Angelns. cum ſuis verbus, quos alternatim canunt Sacerdotes, & chorus iuxta conſuetudinem cuiuſque Eccleſiæ.

Hic ordo Proceſſionis ſeruatur omnibus Dominicis diebus, vſque ad Feſtum Aſcenſionis Domini.

# IN FESTO SANCTI MARCI Euangeliſtæ.

## De Litaniæ Maioris & Minoris inſtitutione, & cauſis.

OCcurrunt hoc tempore Paſchali Litaniæ, ſeu deprecationes Maiores & Minores: Maiores ſunt in Feſto ſancti Marci, etiamſi feſtum cum eiuſdem Miſſa contingat transferri, niſi incidant in diē Paſchatis, tunc enim transferuntur in Feriam tertiam ſequentem, ex Decreto S. Congregationis Rituum, 25. *Septemb Milleſimo, Sexcenteſimo, Vigeſimo ſeptimo.* Dicuntur autem Maiores Litaniæ ad differentiam Minorum, de quibus mox dicetur, quas inſtituit Sanctus Gregorius Papa, non ſimpliciter, ſed ad Aedem Sancti Petri; teſte Baronio in Martyrologio, *die 25. April.* quæ etiam ante ſanctum Gregorium erant annuæ, vt ipſe teſtatur, initio E*piſtolarum lib.* 2 vocans eas, annuas & maio-

res. Septiformem enim Litaniam instituerat Diuus Gregorius ad certas Ecclesias, distribuens Processionem in septem ordines; hoc est, Clericorum, Religiosorum, Monialium, puerorum, adolescentum, viduarum, & continentium, ac coniugatorum: idque *vt ait ordo Romanus* propter imminentem coelestis iræ mucronem, hoc est pestem inguinariam, qua obibant multi, etiam oscitando & sternutando morte repentina. Vnde & oscitantes digito super os formabant signum Crucis, & sternutantibus dicebatur: *Deus te iuuet*, qui mores ad nos vsque deuenerunt.

Minores autem Litaniæ, id est, Rogationes seu deprecationes, fiunt triduo, ante Ascensionem Domini, quæ celebrari iubentur, *c. Rogationes. de consdis*: 3. Meminit earum D. Augustinus, *ser*. 173. *de tempore*, vocans eas, Dies compunctionis & pœnitentiæ. Vnde cōstat eas antiquiores esse Maioribus Litaniis à S. Gregorio institutis. Dicuntur autem hæ minores institutæ, à S. Mamerto Viennensi Episcopo in Galliis, ob incursionem luporum damna grauissima populis adferentium: quæ ideo appellatæ sunt Minores, quia à minori Episcopo, & in minori loco institutæ, respectu sancti Gregorij, & Vrbis Romæ. Fiunt autem prædictæ Litaniæ ad pec-

cata purganda, pacem impetrandam, pestilentiam auertendam, conseruationem frugum tunc è terra prodeuntium, & cæteras necessitates; quibus diebus fideles abstinentiam seruare, & lacticiniis semel in die vesci debent.

Moneant ergo Parochi populum, vt ad prædictos fructus spirituales & temporales consequendos, his Processionibus deuotè interesse studeat.

## ORDO
### Litaniæ maioris, & Processionis die Sancti Marci.

FInita maiori Missa, vel tempore, quod commodius videbitur, Sacerdos officians super albam & stolam pluuiali violaceo, vel simili indutus, tenens reliquias cum duobus ministris, sicut ad Missam ministrare solent, ante maius altare genuflexus, voce sonora, intono dicit sequentem exhortatoriam Antiphonam:

ORemus, dilectissimi nobis, Deum Patrem omnipotentem, vt cunctis mundum purget erroribus, morbos auferat, famem depellat, aperiat carce-

res, vincula diſſoluat; peregrinantibus reditum, infirmantibus ſanitatem, nauigantibus portum ſalutis indulgeat, & pacem tribuat in diebus noſtris, inſurgenteſque depellat inimicos, & de manu inferni liberet nos propter nomen ſuum. Alleluia.

Poſtea inchoat in cantu ſolito ſequentem Antiph.

Exurge Domine.

Proſequitur chorus eodem cantu.

Adiuua nos, & libera nos propter nomen tuum, Alleluia. Pſal. Deus, auribus noſtris audiuimus, patres noſtri annunciauerunt nobis.

*Verſ.* Gloria Patri, &c.

Poſtea repetitur Antiphona ad Pſalmum, vt prius.

*Verſ.* Peccauimus Domine cum patribus noſtris.

*Reſp.* Iniuſtè egimus, iniquitatem fecimus.

MIserere quæsumus Domine, familiæ tuæ, & intercedentibus omnibus sanctis tuis, munera compunctionis aperi, largitate pietatis exaudi. Per Christum Dominum nostrum.

Deinde chorus incipit, Litaniam de Sanctis genu flexis omnibus, vsque ad locum Sancta Maria: tunc enim assurgitur: Cùm verò dicitur: Sancte Petre, &c. proceditur ordine processionis consueto, præcedentibus vexillis, & cruce Paschali, subsequente choro, & ordine puerorum, Cantorum, Sacerdotum, & vltimò populi. Processiones autem dirigantur ad Ecclesias, seu loca, secundùm locorum consuetudinem. Cùm autem appropinquatur alicui Ecclesiæ, vel Oratorio, intermissa Litania, canitur Responsorium, vel Antiphona, quæ ex officio Romano maximè quadrat Patrono, vel Patronis eiusdem Ecclesiæ. Si autem fuerint ex Apostolis, Euangelistis, vel Martyribus, tempore Paschali, cantetur Antiphona: Filiæ Ierusalem, venite, &c.

Congruum autem esse, vt tunc in eadem Ecclesia ordinaretur Missa, cui processio tota interesset, ad minus per Canonem maiorem, si tempus patitur.

Finito cantu, officians depositis reliquiis super altare, ante illud inter ministros genuflectat, similiter & reliqui; & per chorum decantentur Suffragia sequentia, vel aliqua eorum, pro ratione, & temporis opportunitate. Si verò non habentur propria, substituantur de communi, ex Officio Romano.

## ANTIPHONÆ SVFFRAGIORVM Communium, cum suis Versibus & Collectis.

| | |
|---|---|
| De Sancto Spiritu. | Veni sancte Spiritus. |
| De S. Cruce. | Per signum Crucis. |
| Tempore Paschali de S. Cruce. | Crucem sanctam subiit. |
| De B. Maria Virgine. | Regina cæli. |
| Vel extra tempus Paschale | Sancta Maria. |
| De Apostolis Petro & Paulo. | Gloriosi principes terræ. |
| Pro Sancto Marco. | Sancti tui Domine florebunt. |

Si Patronus vel Patrona Ecclesiæ, in qua est statio, non est ex Sanctis hucusque positis, inseratur hoc loco eius commemoratio per Antiphonam, Versum,

& Collectam, infrà sibi competentem. Idem fiat immediatè post, de Sancto vel Sancta, si cuius Reliquiæ celebres habenter in eadem Ecclesia.

| | |
|---|---|
| De S. Adalberto. | Per merita sancti Adalberti. |
| De S. Stanislao. | Vir inclyte Stanislae. |
| De S. Venceslao. | Corde lingua. |
| De S. Floriano. | In Floriano latuit. |
| De S. Heduigi. | Heduigis sancta inclyta. |
| Contra hostes Ecclesiæ & Hæreticos. | Contere Domine. |
| Pro Rege. | Quoniam Rex noster. |
| Pro Serenitate vel Pluuia. | Domine Rex. |
| Tempore Pestis. | Media vita. |
| Pro Pace. | Da pacem Domine. |
| De Sanctis tempore Paschali. | In cælestibus regnis. |
| Extra Tempus Paschale. | Sancti Dei omnes. |

Finitis Suffragiis, Sacerdos officians, prosequitur versus infrascriptos, ita vt Suffragiis respondeant.

*Vers.* Emitte Spiritum tuum & creabuntur, Alleluia.

*Vers.* Adoramus te Christe, & benedicimus tibi.

Dicite in nationibus, Alleluia,
Gaude & lætare Virgo Maria,
Alleluia.

*Vers.* In omnem terram exiuit ſonus eorum, Alleluia.
Sancti & iuſti in Domino gaudere, Alleluia.

Hic inſeratur verſus de Patrono vel Reliquiis, vt ſupra.

Gloria & honore coronaſti eum Domine, Alleluia.
Poſuiſti Domine ſuper caput eius, Alleluia.

*Vers.* Iuſtus vt palma florebit, Allel:
Pretioſa in conſpectu Domini, Alleluia.
Diffuſa eſt gratia in labiis tuis, Alleluia.
Exurgat Deus, & diſsipentur inimici eius.

Domine saluum fac Regem nostrum.
Dominus dabit benignitatem, *vel* (serenitatem,) Alleluia.
Adiuua nos DEvs salutaris noster.

*Vers.* Fiat pax in virtute tua.
Exultent iusti in conspectu Dei, Alleluia.
Lætamini in Domino, & exultate iusti, Alleluia.
Domine exaudi orationem meam.

*Resp.* Et clamor meus ad te veniat.

Deinde Sacerdos surgens dicit sequentes Orationes sub vna conclusione.

Oremus.

DA, quæsumus, Ecclesiæ tuæ misericors DEvs, vt Spiritu Sancto con-

gregata, hostili nullatenus incursione turbetur.

DEvs, qui pro nobis filium tuum crucis patibulum subire voluisti, vt inimici à nobis expelleres potestatē: concede nobis famulis tuis, vt resurrectionis gratiam consequamur.

Alia extra tempus Paschale.

DEvs, qui sanctam crucem ascendisti, & mundi tenebras illuminasti: tu quoque corda & corpora nostra, per virtutem sanctæ crucis illuminare, & visitare digneris.

De B. Virgine, tempore Paschali.

DEvs, qui per resurrectionem filij tui, Domini nostri IESV Christi, mundum lætificare dignatus es, præsta

quæſumus, vt per eius genitricem Virginem Mariam, perpetuæ capiamus gaudia vitæ.

## Alia extra tempus Paſchale.

COncede nos famulos tuos, Domine DEVS, perpetua mentis & corporis ſanitate gaudere, & glorioſa Beatæ Mariæ ſemper Virginis interceſſione, à præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia.

## De Apoſtolis.

PRotege Domine, populum tuum, & Apoſtolorum tuorum Petri & Pauli, & aliorum Apoſtolorum & Euangeliſtarum patrocinio confidentem, perpetua defenſione conſerua.

## De S. Marco.

DEVS, qui beatum Marcum Euange-

listam, tuum, Euangelicæ prædicationis gloria sublimasti: tribue quæsumus, eius nos semper eruditione proficere, & orationè defendi.

Hic inserenda Oratio de Patrono loci, vel Reliquiarum, vt supra.

## De S. Adalberto.

TVam nobis indulgentiam, quæsumus Domine, beatus Adalbertus Episcopus & martyr imploret, vt beneficia desiderata concedas.

## De S. Stanislao.

POpulum tuum, quæsumus Domine, intercedente beato Stanislao martyre tuo atque Pontifice, dextera virtute tuæ potenter defende, & solem maiestatis tuæ irreuerberato mẽtis radio, glorianter intueri concede.

## De S. Venceslao.

DEvs, qui beati Venceslai nobilitatem, in meliorem mutaſti dignitatem, & eum per martyrij palmam, ad cœleſtem perduxiſti gloriā: eius quæſumus precibus nos ab omni aduerſitate libera, & æterna beatitudinis gloria perfrui concede.

## De S. Floriano.

ADeſto Domine populo tuo, & ſancti Floriani martyris tui præclara merita ſuſcipiens, ad impetrandam miſericordiam tuam, ſemper eius patrociniis adiuuetur.

## De S. Heduigi.

DEvs gratiæ dator & gloriæ, tuæ nobis propitius ſinum pietatis aperi, & præſta, vt qui hic manentem ciuitatem non habemus, ad futuram quam quæ-

rimus, beatæ Heduigis suffragio perducamur.

## Contra hostes Ecclesiæ.

ECclesiæ tuæ, quæsumus, preces placatus admitte, vt destructis aduersitatibus, & erroribus vniuersis, secura tibi seruiat libertate.

## Alia contra infideles & hæreticos.

OMnipotens DEvs, in cuius manu sunt omnium potestates, & omniũ iura regnorum: respice quæsumus in auxilium Christianorum, vt gentes infidelium & hæreticorum, quæ in sua feritate confidunt, dextera tuæ potentiæ conterantur.

## Pro Rege.

QVæsumus omnipotens DEvs, vt famulus tuus Rex noster N qui tua

miſeratione, ſuſcepit regni guberna-cula, virtutum etiam omnium perci-piat incrementum: quibus decenter ornatus, & vitiorum monſtra deuitare, & ad te, qui via, veritas, & vita es, glo-rioſus valeat peruenire.

## Pro ſerenitate.

AD te nos Domine, clamantes, exau-di, & aëris ſerenitatem (benigni-tatem) tribue ſupplicantibus: vt qui iuſtè pro peccatis noſtris affligimur, mi-ſericordia tua præueniente, clementi-am ſentiamus.

## Pro pluuia.

DEvs, in quo viuimus, mouemur, & ſumus, pluuiam nobis tribue con-gruentem: vt præſentibus ſubſidiis ſuf-ficienter adiuti, ſempiterna fiduciali-ter appetamus.

Tempore pestis vel famis.

DA nobis, quæsumus Domine, piæ supplicationis effectum, & pestilentiam famemque propitius auerte: vt mortalium corda cognoscant, & te indignante talia flagella prodire, & te miserante cessare.

Pro pace.

DEVS, à quo sancta desideria, recta consilia, & iusta sunt opera: da seruis tuis illā quā mundus dare nō potest pacem, vt & corda nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublata formidine, tēpora sint tua protectione tranquilla.

De Omnibus SS. tempore Paschali.

DA, quæsumus Domine, fidelibus populis, omnium Sanctorum tuorum semper veneratione lætari, & corū perpetua supplicatione muniri.

## Alia de Omnibus SS. cunclusiua.

OMnes Sancti tui, quæsumus Domine, nos vbique adiuuent, vt dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus, & pacem tuam nostris concede temporibus; & ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam, iter, actus, & voluntates nostras, & omnium famulorum tuorum, in salutis tuæ prosperitate dispone, benefactoribus nostris sempiterna bona retribue, & omnibus fidelibus defunctis requiem æternam concède. Per Dominum, &c.

Si in defectu Ecclesiarum processionem oporteret dirigi extra vicum, vel pagum, ad imaginem Crucifixi; curet inprimis Parochus, vt tales imagines sint integræ, honestæ, & si fieri potest, benedictæ. Ad quas primo debet præcedere Antiphona cum suo Versu, & Collectis, de S. Cruce: deinde reliquæ, secundùm necessitatem, vel opportunitatẽ.

Cùm receditur ab Ecclesia, vel loco stationis, re-

sumi-

ſumitur Litania, vbi ante deſierat, in eodem tono. Et repetatur, donec ac aliam ſtationem, vel propriam Eccleſiam redeatur. Vel ſi placet ſub ſimili tono, cantetur Litania de nomine IESV, vel B. Virgine.

In reditu & ingreſſu ad propriam Eccleſiam, canendum eſt Reſponſorium, vel Antiphona, de proprio Patrono eiuſdem Eccleſiæ, & per Verſum, & Collectam, per officiantem proceſſio finienda.

## DE LITANIA MINORI
### Diebus Rogationum

TRibus diebus immediatis ante Feſtum Aſcenſionis Domini fiunt ſimiles Proceſſiones, & Litaniæ, vt ſuprà in Feſto S. Marci, niſi quòd vltima die, hoc eſt Feria Quarta in vltimo regreſſu ad propriam Eccleſiam, vbi eſt conſuetudo, debet decantari Sequentia, Victimæ Paſchali· interſerendo Verſibus patrium Canticum. Chryſtus zmartwychwſtał ieſt / ꝛc. vel Germanicè: Chriſt iſt erſtanden / ꝛc. Quæ Proceſſio & Litania non debet omitti, quamuis in aliquem eorum dierum inciderit feſtum celebre. Tempore autem pluuioſo, poteſt in Eccleſia abſolui.

# IN FESTO
# ASCENSIONIS DOMINI.

IN die Ascensionis Domini Processio peragatur hoc modo: Incipit Chorus absolutè Antiphonā: Cùm Rex gloriæ Christus. quam prosequitur stando: Et dum dicitur Aduenisti desiderabilis. tunc egrediatur Processio è Choro in cemeterium, præcedentibus vexillis, & in solito loco subsistat Vbi finita Antiphona, Scholares ad hoc ordinati cantant Hymnum, Salue festa dies: Chorus prosequitur. Toto venerabilis æuo qua Deus cœlos ascendit, & astra tenet. Et statim populus subiungit: Przez twe świete Wniebowstąpienie/ &c. Chorus cum clero subsistit, & cantat versum.

Ecce renascentis.
Namque triumphanti.
Legibus inferni.
Qui crucifixus erat.

Postquem versum, populus progrediendo repetit. Przez twe świete Wniebowstąpienie/ &c.

Intrando Ecclesiam canitur Responsorium: Ite in orbem. Deinde fit statio in medio Ecclesiæ, vbi Prælatus officians incipit hoc versus.

O Ramus Domine conditor inclyte.
Chor: Deuotos famulos respice.

protege-

protege: ne nos liuor edax dæmonis obruat, demergat vel in inferos.

Officians. Vt cum flammiuoma nube reuerteris, Chorus. Occulta hominũ pandere iudicans, ne des supplicia horrida noxiis, sed iustis bona præmia.

Officians. Præsta hoc genitor optime maxime. Chorus Hoc tu nate Dei & bone Spiritꝰ, Regnans perpetuò fulgida Trinitas, Per cuncta pie sæcula. A.

Intrando Chorum, hæc Antiphona tribus vicibus per Presbiteros cantatur:

AScendo ad Patrẽ meũ, & Patrẽ vestrum. Chorus Deum meum & Deum vestrum, Alleluia.

Post decantatos in statione versus Hymni, per celebrantem dicitur versus cum oratione.

*Vers.* Ascendens Christus in altum, Alleluia.

*Resp.* Captiuã duxit captiuitatẽ, Allel.

## Oremus.

DEvs, cuius Filius in alta cœlorũ potenter aſcendens, captiuitatem noſtram ſua duxit virtute captiuam: tribue quæſumus, vt dona, quæ ſuis participibus contulit, largiatur & nobis IESVS Chriſtus Dominus noſter. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus ſancti, &c.

In Parochialibus Eccleſiis hic mos obſeruatur. Sacerdos officians ad altare accedens cum miniſtris, ſi adſunt, & accipiens imaginem Saluatoris, eam cum reuerentia ter attollit, cantando Antiphonam, Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum. Chorus proſequitur: Deum meum, & Deum veſtrum, alleluia. Et poſt ſingulas intonationes, crucem iterum parum demittit: quam, Antiphona finita, in altari collocat, Sacro finito ad ſacriſtiam reuerenter deferendam.

Repræſentatio autem Aſcenſionis Domini, per receptionem imaginis eiuſdem ad ſuperiora, eſt abolenda: præſertim ſi poſt illam imago cacodæmo-

nis

nis deiiciatur, & alia ſuperſtitioſa fiant cum ſcandalo & tumultu.

## DE VIGILIA PENTECOSTES.

Sicut totum Officium & Miſſa, ſic aliæ cærimoniæ eiuſdem diei fiant ex Miſſali Romano.

## IN DIE SANCTO PENTECOSTES.

AD aſperſionem canitur Reſponſorium, Vidi aquam. cum verſu & oratione, vti in principio huius libri dictum eſt.

Deinde ad Proceſſionem canitur: Cùm Rex gloriæ Chriſtus. qua finita, ſcholares incipiunt Hymnum, Salue feſta dies. Chorus proſequitur, Toto venerabilis æuo, qua Deus Spiritum miſit, & aſtra tenet. Populus progrediendo cantat: Przez twe świete Duchá zeſłánie, ⁊c. Chorus cum Clero ſubſiſtit, & cantat reliquos verſus, vti ſupra ſignatū eſt.

Intrando Eccleſiam, canitur Reſponſorium: Apparuerunt Apoſtolis diſpartitæ lingua. Deinde fit ſtatio in medio Eccleſiæ, vbi Prælatus officians, incipit hos verſus Hymni:

Veni creator Spiritus, Chorus proſ:

Mentes tuorum visita, imple superna gratia, quæ tu creasti pectora.

Sac. Hostem repellas longius. Chorus. Pacemque dones protinus, Ductore sic te præuio, Vitemus omne noxiū

Sac. Per te sciamus da Patrem. Chorus. Noscamus atque Filium: Te vtriusque Spiritū, Credamus omni tempore.

*Vers.* Emitte Spiritum tuum & creabuntur, alleluia.

*Resp.* Et renouabis faciem terræ, alleluia.

Oremus.

PRæsta, quæsumus omnipotens & misericors Deus, vt sanctus Spiritus adueniens, templum nos gloriæ suæ, dignanter inhabitando perficiat. Per Christum Dominum nostrum.

Iterando chorum, canitur Antiphona:

Accipite Spiritum sanctum.

Chorus. Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, Alleluia.

## IN FESTO
## SS. TRINITATIS

HAc die, & ſequentibus Dominicis, per annum peragatur aſperſio, Proceſſio, cum ſuis Reſponſoriis, vt ſupra de Proceſſionibus in diebus Dominicis dictum eſt.

## IN SOLENNITATE
## CORPORIS CHRISTI.

COrporis Domini ſolennitas, ſiquidem die Cœnæ Domini, propter lugubre tempus Paſſionis Dominicæ, & alias continuatas feſtiuitates, celebrari, vt par eſt, non poterat: Eccleſia huic rei aſſignauit commodiſſimè Feriam quintam, poſt Feſtum SS. Trinitatis, cum ſeptem aliis continuis diebus. Per quod tempus Paſtores adhortentur populum, tã doctrinâ, quàm exemplo, ad ardentẽ & continuum tanto Sacramento honorem præſtandum; admonente idipſum Eccleſia, dum ſic canit: *Quantum potes, tantum aude: quia maior omni lau-*

*de, nec laudare sufficis* Proferant ergo tanquam boni patresfamiliâs, ex thesauris scientiæ & prudentiæ suæ, noua reformatorum adorandi rituum, multis locis Prouinciæ iam explorata: nec minùs retineant vetera patriarum consuetudinum, modo talia sint, ne contumeliam potiùs quàm honorem, inferant Christo in Sacramento præsenti. Admoneatur populus de quotidianis per Octauam Indulgentiis, quas consequuntur, qui intersunt horis Canonicis in Ecclesia, vel vbi eæ non decantantur, Missæ, Vesperis, & Processionib⁹, quæ circa illa quotidie fiunt.

PRidie igitur eiusdem Festi, in Missa reseruandæ sunt, & in Sacristia honorificè deponendæ, duæ maiores hostiæ consecratæ, ne fortè alteram illarum frangi contingat. Ante inchoationem verò Vesperarum adornetur Templum, eius partes, maximè verò Altare, & tabernaculum, in quo Eucharistia collocari debet. Sacerdos igitur Sacris vestibus ad Vesperas indutus, cum suis ministris, candelis, & thuribulo accensis, veniunt ad hostias repositas, easque genuflexi adorant. Postea Officians vnam ex eis ponit in tabernaculum, seu monstrantiam, & reuerenter in thuribulo incensat. Demum præcedentibus vexillis, candelis accensis, ministris, thuribulo, campanarum tinnitu, profert illud ex Sacristia; &

stans

ſtans verſus populum, inchoat verſum: O ſalutaris hoſtia. Choro reliqua vſque ad finem Hymni proſequente. Sacerdos autem cum aliis progreditur ad altare maius, in quo Euchariſtiam reuerenter deponit, & cum omnibus aliis genuflexus adorat, donec Chorus cantu, ſi fieri poteſt, ſigulari abſoluat aliquam Antiphonam tempori congruentem. Poſtea Sacerdos reſumit Sacramentum, & ad altare verſus populum ſtans, incipit Reſponſorium: Homo quidam fecit; quod canendo, proſequitur chorus ordine ſuo procedens, quem ſequi debent pueri, Eccleſiaſtico vel honeſto habitu induti, tenentes in manibus non calices (vt magno & periculoſo abuſu fieri ſolet) ſed candelas vel faces accenſas, & vt fieri poteſt, adornatas. Conuenit autem, vt reliqui Sacerdotes, & populus ipſe lumina deferant. Miniſtri autem, vel vnus illorum, præfert thuribulum ante Euchariſtiam incenſando. Perficitur circuitus intra vel extra Eccleſiam, ſecundùm opportunitatem. Quod ſi circuitui non ſufficit Reſponſorium, addatur aliqua Antiphona, vel Hymnus tēpori deſeruiens. Exacto circuitu, Sacerdos roponit ſuper altare Euchariſtiã, & dum finitur cantus, cum reuerentia reſumit, faciendo cum illa benedictionē verſus populum vna vice: deinde repoſita in locum

ſuum,

ſuum, incipit Veſperas. Quibus, vel etiam, vbi decantàntur, Completorio finitis, Officians accepta Euchariſtia, incipit cantu: Tantum ergo Sacramentum. Deinde: Genitori genitoque: Choro autem reliqua ad finem proſequente, in illis verbis (ſit & benedictio) benedicit populum cum Venerabili Sacramento in formam crucis, vna vice. Et eadem qua priùs reuerentia, reportat ad ſolitum depoſitorium, niſi in altari de more, & ſecurò ſit relinquendū. Quem proferendi & reponendi, modum ſeruabit, quoties per annum vſus venerit, & præcipuè in hac ſolennitate; in qua inſuper retinenda, & vbi deſiit, reuocanda eſt laudabilis conſuetudo, vt Officians in Proſa vel Sequentia, adorationem Sacramenti in populo excitet, per inchoationē Verſuum: Ecce Panis Angelorum. In figuris præſignatur. Bone paſtor, panis verè. Et ſtatim poſt ad verba: IEsv noſtri miſerere: facit conſuetam benedictionem in formam crucis, vna vice.

# DE PROCESSIONE
## Solenniori eiuſdem Feſti.

PRoceſſio ſolennior ipſo die Corporis Chriſti, vt in Epiſtola Paſtorali habetur, fiat hoc ordine

Vbicunque plures habentur Ecclesiæ, omnes reliquarum, etiam Regulares, Clerici, absolutis in Ecclesiis suis Missis, & Processionibus circa eas factis, atque Eucharistia ex altari in Sacristiam delata, ad Metropolitanam, Cathedralem, vel Collegiatam celebrem, si quæ adest, aliâs ad Parochialem Ecclesiã, modo & ordine, Cracouiæ, iuxta consuetudinẽ S. Romanæ, Ecclesiæ à bon: mem: Card: Radziuillo Episcopo Cracouiensi, instituto, ad deducendum inde per plateas Ciuitatis vel Oppidi, atque reducendum iterum Sanctissimum Sacramentum processionaliter, cum vexillis & crucibus; Regulares quidem habitu Ordinis quique sui, Clerici minores superpelliceis, Subdiaconi & Diaconi Dalmaticis, Presbyteri Cassulis pretiosioribus induti, habentesque singuli cereos in manibus, quos in processione accendant, ac singulos ordines Sacerdote superpelliceo, stola, & pluuiali amicto, qui Crucem aut sacras Reliquias deferat, subsequente, hora à Prælato primariæ Ecclesiæ illis assignanda, conueniant. Vbi etiam Confraternitates sæcularium, & societates opificum, cum facibus vel cereis tempestiuè adsint.

Egrediente à dicta Ecclesia Processione, & ad illam reuertente, omnes eius campanæ pulsentur: reliquarum autem Ecclesiarum tunc, cùm per vicina

illis loca Processio transibit.

Processio itaque ipsa ante vel post maiorem Missam, cum maxima quæ adhiberi potest solennitate, & fidelium applausu, aduersariorum verò confusione progreditur ad forum, vel nobiliorem Ciuitatum, vicorum, aut pagorum partem; vbi locis aptioribus, debitæque ab inuicem instantiæ, instruuntur quatuor mensæ instar altarium, imaginibus, & mundis pannis sacris, adminùs autem vno superiori adornatæ. Exeundo ex Ecclesia, inchoat Officians Responsorium: Homo quidam fecit. Eoque cum suis partibus finito, si vlterior restat Progressus, cantari debent Hymni tempori seruientes, vel Antiphonæ; vt potè Pange lingua. Sacris solenniis. Verbum supernum prodiens. IESV nostra redemptio. Æterne Rex altissime. Qui Hymni in hac Processione, iuxta Psalterium Romanum cani debent: quod etiam in aliis Processionibus huius festi, finitis Responsoriis, fieri debet. Vbi ad primum altare peruentum fuerit, Sacerdos reuerenter deponit super illud Eucharistiam, & adorans incenso benedicto adolet. Deinde Diaconus vel ministrans, accepta benedictione consueta, cantat in solito tono, Initium Euangelij secundù Matthæũ, vt supra ponitur. Quo finito, Officians osculato libro, reuerenter recipit.

Eucha-

Euchariſtiam, & conuerſus ad populum inchoat Reſponſorium. Et hoc cantu fit progreſſus ad ſecundùm altare, vbi ſicut in reliquis, ſimilem priori ſtationem faciet, Euangeliis tantùm & Reſponſoriis mutatis, vt ſequitur.

## IN PRIMA STATIONE Euangelium.

*Verſ.* Dominus vobiſcum.
*Reſp.* Et cum Spiritu tuo.
*Verſ.* Initium ſancti Euangelij ſecundùm Matthæum.
*Reſp.* Gloria tibi Domine.

LIber generatiônis IEsv Chriſti Filij Dauid: Filij Abrahám. Abrahám génuit Iſaác: Iſaác autem génuit Iacob: Iacob autem génuit Iudam & fratres eius: Iudas autem génuit Phares & Zaram de Thamar. Phares autem génuit Eſron: Eſron autem génuit Aram. Arã autem génuit Aminadab: Aminadab

autem génuit Naaſon: Naaſon autem génuit Salmon: Salmon autem génuit Booz de Raab: Booz autem génuit Obeth ex Ruth: Obeth autem génuit Ieſſe. Ieſſe autem génuit Dauid regem: Dauid autem Rex genuit Salomônem, ex ea quæ fuit Vriæ. Sálomon autem gènuit Roboám: Roboám autē génuit Abiam: Abias autē génuit Aſa: Aſa autem génuit Ióſaphat. Ióſaphat autem génuit Ioram: Ioram autem génuit Oziam: Ozias autem génuit Ióathan: Ióathan autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam: Ezechias autem génuit Manáſſem: Manáſſes autē génuit Amon: Amon autem génuit Ioſiam: Ioſias autem génuit Iechoniam & fratres eius in tranſmigratióne Babilónis. Et poſt tranſmigratiônem Babilônis, Iechoniás génuit Saláthiel: Salá thiel autem génuit Zorobabél: Zoro-

babel

babel autem genuit Abiud: Abiud autem génuit Eliachim. Eliachim autem génuit Azor: Azor autem génuit Sadoc: Sadoc autem génuit Achim: Achim autem génuit Eliud: Eliud autem gènuit Eleazár; Eleazár autem genuit Mathan: Mathan autem genuit Iacob. Iacob autem gènuit Ioſeph virum Mariæ. De qua natus eſt IESVS, qui vocatur Chriſtus.

Reſponſorium Immolabit hædum.

## IN SECVNDA STATIONE
### Euangelium.

*Verſ.* Dominus vobiſcum.
*Reſp.* Et cum ſpiritu tuo.
*Verſ.* Initium ſancti Euangelij ſecundum Marcum.
*Reſp.* Gloria tibi Domine.

Initium Euangélij IESV Chriſti Filij

Dei, ſicut ſcriptum eſt in Iſaia Prophéta, ( Ecce mitto Angelum meum ante fáciem tuám, qui præparabit viam tuã ante te. ) Vox clamántis in deſerto: Paráte viam Dómini, rectas facite ſémitas eius. Fuit Ioánnes in deſerto baptizans, & prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſsionem peccatórum. Et egrediebatur ad eum omnis Iudæę regio, & Ieroſolymitæ vniuérſi: & baptizabántur ab illo in Iordanis flumine, cõfiténtes peccáta ſua. Et erat Ioannes veſtitus pilis caméli, & zona pellicea circa lumbos éius: & locùſtas & mel ſyluéſtre edebat. Et prædicabat dicens: Véniet fortior me poſt me, cuius non ſum dignus procumbens ſóluere corrigiam calceamentôrũ eius. Ego baptizaui vos aqua: ille verò baptizàbit vos Spiritu ſancto.

Reſponſorium. R eſpexit Elias.

# IN TERTIA STATIONE

## Euangelium.

*Vers.* Dominus vobiſcum.
*Resp.* Et cum ſpiritu tuo.
*Vers.* Initium ſancti Euangelij ſecundùm Lucam.
*Resp.* Gloria tibi Domine.

FVit in diébus Heródis regis Iudææ, ſacérdos quidam nómine Zacharias, de vice Abia: & vxor illius de filiab⁹ Aaron, & nomen illius Eliſabeth. Erant autem iuſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandátis & iuſtificatiónibus Domini ſine querela, & non erat illis fili⁹: eo quòd Eliſabeth eſſet ſterilis: & ambo proceſsiſſent in diebus ſuis. Factum eſt autem, cùm ſacerdótio fungerétur Zacharias, in órdine vicis ſuæ ante Deum, ſucundùm conſuetúdinē ſacerdótij: ſorte exiit, vt incénſum póne-

ret, ingressus in templum Dómini. Et omnis multitudo pópuli erat orans foris, hora incénsi. Apparuit autem illi Angelus Domini, stans à dextris altaris incénsi. Et Zacharias turbatus est, videns: & timor irruit super eum. Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia: quoniam exaudita est deprecatio tua: Et vxor tua Elizabeth pariet tibi filium: & vocábis nomen eius Ioannem. Et erit tibi gaudium & exultátio: & multi in natiuitáte eius gaudébunt. Erit enim magnus coram Dómino: vinum & siceram non bibet. Et Spiritu sancto replébitur adhuc ex vtero matris suæ, & multos filiórum Israël conuertet ad Dóminum Deum ipsorum. Et ipse præcedet ante illum in spiritu & virtúte Eliæ: vt conuertat corda patrum in filios: & incredulos ad prudentiam iustorum, parâre Dómino plebem perfectam.

Reſponſorium. Miſit me.

## IN QVARTA STATIONE
### Euangelium.

*Verſ.* Dominus vobiſcum.
*Reſp.* Et cum ſpiritu tuo.
*Verſ.* Initium ſancti Euangelij ſecundum Ioannem.
*Reſp.* Gloria tibi Domine.

IN principio erat Verbum: & Verbũ erat apud Deum: & Deus erat Verbum, Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt: & ſine ipſo factũ eſt nihil. Quod factum eſt, in ipſo vita erat: & vita erat lux hóminũ: & lux in ténebris lucet: & ténebræ eam nõ cõprehendérũt. Fuit homo miſſ9 à Deo, cui nomen erat Ioánnes. Hic venit in teſtimónium: vt teſtimónium perhibêret de lúmine, vt omnes crédérent per

illum. Non erat ille lux: ſed vt teſtimónium perhibêret de lúmine. Erat lux vera, quæ illúminat omnem hóminem veniêntem in hunc mundum. In mundo erat: & mundus per ipſum factus eſt: & mundus eum non cognôuit. In própria venit & ſui eum non recepérunt. Quot quot autem receperunt eum, dedit eis poteſtâtem filios DEI fieri: his qui credunt in nomine eius. Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntâte carnis, neque ex voluntâte viri: ſed ex Deo nati ſunt. ET VERBVM CARO FACTVM EST. & habitâuit in nobis (& vidimus glóriā eius, glóriā quaſi vnigéniti à Patre) plenū grátiæ & veritâtis.

Reſponſorium (obſeruata prius ſequenti annotatione.)

Melchiſedech.

Quæ quidem Reſponſoria, ſuo ordine, vel vt

com-

commodius videbitur, in Processionibus quotidianis per hanc octauam erunt decantanda. Quando autem genuflexio est commoda, in Responsorio Melchisedech, ad prima verba: O IESV Sacerdos paululum subsistens, dat eum Sacramento benedictionem Clero, & aliis praecedentibus genuflexis: postea ad vltimam eorundem verborum repetitionem, idem facit versus sequentem populum.

In vltima Statione, finito Euangelio, omnibus genuflexis, canitur Antiphona:

O Sacrum conuiuium.

*Vers.* Posuit fines tuos pacem, allel.
*Resp.* Et adipe frumenti satiat te, allelua.

Oremus.

DEvs, qui per præsentiam arcæ fœderis, domui, & vniuersæ substantiæ Obededom fidelis tui, largam benedictionem contulisti: concede propitius, vt arca redemptionis nostræ, Christus Iesus filius tuus, hodierno corporis sui

mysterio nos visitans, temporali & æterna nos benedictione muneretur. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Resp.* Amen.

## Responsorium, vt supra.

In reditu, ante ingressum propriæ Ecclesiæ inchoatur Hymnus, **Te Deum laudamus.**

Interim reposito in Altari venerabili Sacramento, & omnibus genuflexis, cùm peruentum fuerit ad versum: **Saluum fac populum tuum Domine.** Sacerdos recipiens Sacramentum, conuersus ad populum, ter illum inchoat, choro perficiente: ita tamen, vt tertia vice addat reliqua verba **Et benedic hæreditati tuæ. Et tunc** Eucharistia in forma crucis ducta, more solito populum benedicat. Dumque chorus reliqua absoluit, deponat Sacramentū in tabernaculum altaris: vel si asseruandum erit, solito comitatu & reuerentia, ad locum præparatum deferat. Idem finiendi & asseruandi modus teneatur in conclusione huius solennitatis, & quoties in aliqua solennitate, vel gratiarum actione publica, profertur Venerabile Sacramentum. Reliquis tem-

pori-

poribus, vel in ſupplicationibus lugubribus, ante aſſeruationem immediatè cantetur Antiphona: O quam ſuauis eſt Domine Spiritus tuus, &c. Deinde Sacerdos genuflexus dicit:

*Verſ.* Panem de cœlo præſtitiſti eis, alleluia.

*Reſp.* Omne delectamentum in ſe habentem, alleluia.

Oremus

DEvs, qui nobis ſub Sacramento mirabili, paſsionis tuæ memoriam reliquiſti: tribue quæſumus, ita nos corporis & ſanguinis tui ſacra myſteria venerari, vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter ſentiamus. Qui viuis. &c.

Denique inchoato verſu: Tantum ergo Sacramentum, &c. aſſeruat Euchariſtiam, vt ſuo loco dictum eſt.

Poſtremò, finita & reducta ad eandem Eccleſiam Proceſſione, omnes tam Clerici, quàm laici, eodem ordine quo venerant, reuertantur ad ſuas

Ecclesias; quæ & ipsæ pariter, vbi id fieri commodè potest, præter Processiones quotidie circa Ecclesiam obiri consuetas, vnam solenniorem cæteris, Dominica infra octauas, vel in ipsa Octaua, per adiacentes sibi vicos, cum populo suo instituant.

Deniq́ue in pagis & oppidis, vbi vna tantum est Ecclesia, per nobiliorem atq́ue planiorem earum partem, non tamen per campos aut agros, quàm decentissimè, iuxta supra scripta, hæc eadem Processio fiat

Tempore Aduentus, & Quadragesimæ omittitur Alleluia; vbi alioquin in tali officio est appositū.

# IN FESTO DIVISISIONIS Apostolorum.

HOc Festum quamuis in Officio Romano non ponatur, fortasse ideò, quia eius historia certa, & vniuersali traditione non firmatur. Tamen quia prorsus obscura non est, retineatur eiusdem Festi celebritas, vbi est consuetudo: maximè verò in nostra Prouincia, propter memorabilem victoriam per Polonos ex Pruthenis & Cruciferis eo die reportatam. Ideo post Missam maiorem (cui alia Missa Gratiarum actoria præmittenda, vel vbi fieri non potest, Oratio ad id propositum inserenda est) sit se-

cundum locorum consuetudinem Processio, per inchoationem Responsorij de Festo: Ite in orbem vniuersum. vel, Ecce ego mittos vos quod est primum de communi Apostolorum. Cui succedit Litania cum aliis suffragiis, memoria eidem tempori & loco congruentibus, vt in processione die S. Marci positum est: Quibus interseri poterunt suis locis sequentes propriæ orationet,

Oremus.

DEvs, qui hodierna die Apostolorum tuorum, per orbem terrarum diuisionem, tua prouidentia fieri præstitisti; vt in vnam fidei gratiam, ex gentibus passim dispersis vocaretur Ecclesia: da nobis meritis & suffragiis eorum, veniam nostrorum consequi peccatorum, per quorum veram prædicationē, ad tui nominis peruenimus agnitionē.

OMnipotens sempiterne Deus, mœstorum benignissime consolator, tutum refugium in te sperantium: qui hodiernam diem huic populo de tua

protectione confidenti, triumpho mirabili cœlitùs præstito, celebrem fieri voluisti: præsta quæsumus tuæ protectionis abundantiam, vt populus meritis ac precibus sanctorum Apostolorū tuorum, quorum solennia agimus, ab omni semper hostium impugnatione tueatur, & securus tibi deseruiendo permaneat.

DEvs, qui credentes, in te populos nullis sinis concuti terroribus: dignare preces & supplicationes, plebis tibi dicatæ suscipere: vt pax à tua pietate concessa, Christianorum fines, ab omni hoste faciat esse securos Per Dominum, &c.

*Postremo in reditu ad propriam Ecclesiam, concluditur Hymno, Te Deum laudamus.*

# IN FESTO
# ASSVMPTIONIS B. M. V.

## Benedictio Herbarum & Processio.

ABsoluta aspersione, si festum venerit in Dominica, alioqui immediatè antè maiorem Missam, Officians pluuiali solenni indutus, ante altare, conuersus ad populum tenentem herbas, incipit voce intelligibili.

*Vers.* Adiutorium nostrum in nomine Domini.

*Resp.* Qui fecit Cœlum & terram.

Deinde dicat Psalmum 64.

TE decet hymnus Deus in Sion: & tibi reddetur votum in Hierusalem.

Exaudi orationem meã: adte omnis caro veniet.

Verba iniquorũ præualuerunt super nos: & impietatibus nostris tu propitiaberis.

Beatus quem elegisti, & assumpsisti: inhabitabit in atriis tuis.

Replebimur in bonis dom⁹ tuæ: sanctum est templum tuum, mirabilé in æquitate.

Exaudi nos DEVS salutaris noster: spes omnium finium terræ, & in mari longè.

Præparans montes in virtute tua, accinct⁹ potentia: qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum eius.

Turbabunt gentes, & timebunt, qui habitant terminos à signis tuis: exitus matutini & vesperæ delectabis.

Visitasti terram, & inebriasti eam: multiplicasti locupletare eam.

Flumen Dei repletum est aquis: parasti cibum illorum, quoniā ita est præparatio eius.

Riuos eius inebrians multiplica genimina eius: in stillicidiis eius lætabitur germinans.

Benedices coronæ anni benignitatis tuæ: & campi tui replebuntur vbertate.

Pinguescent speciosa deserti: & exultatione colles accingentur.

Induti sunt arietes ouium, & valles abundabunt frumento: clamabunt etenim hymnum dicent.

Gloria Patri, & Filio, &c.

*Vers.* Dominus dabit benignitatem.

*Resp.* Et terra nostra dabit fructū suū.

*Vers.* Rigans montes de superioribus suis.

*Resp.* De fructu operum tuorum satiabitur terra.

*Vers.* Producens fœnum iumentis.

*Resp.* Et herbam seruituti hominum.

*Vers.* Vt educas panem de terra.

*Resp.* Et vinum lætificet cor hominis.

*Vers.* Vt exhilaret faciem in oleo.

*Resp.* Et panis cor hominis confirmet.

*Vers.* Misit verbū suum, & sanauit eos.

*Resp.* Et eripuit eos de omnibus interitionibus eorum.

*Vers.* Domine exaudi orationem meã.

*Resp.* Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

OMnipotens sempiterne DEvs, qui cœlum, terram, mare, & omnia visibilia & inuisibilia verbo tuo ex nihilo creasti: quique herbas arboresque ad vsus hominum animaliumque terram gignere, & vnum quodq; iuxta sementem in semetipso fructum habere præcepisti: atque non solùm, vt herbæ animantibus ad victum, sed ægris etiam corporibus prodessent ad medicamentum, tua ineffabili pietate concessisti: te supplici mente & ore deprecamur, vt has diuersi generis herbas & fructus, tua clementia bene ✠ dicas, & supra naturalem à te inditam virtutem, eis be-

nedictionis tuæ nouæ gratiam infundas, vt ad vsum hominibus & iumentis in nomine tuo applicatæ, omniũ morborum & aduersitatum efficiantur præsidium. Per Dominum, &c.

DEvs qui per Moysem famulum tuũ mandasti filiis Israël: vt manipulos nouorum fructuum benedicendos deferent ad Sacerdotes, tollerentque fructus arboris pulcherrimæ, & lætarentur coram te Domino Deo suo: adesto propitius inuocationibvs nostris, & effunde tuæ bene ✠ dictionis abundantiam super nos, & super hos manipulos nouarum frugum, vuarum, herbarum, & fructuum collectionem, quæ cũ gratiarũ actione tibi representamus, & in nomine tuo in hac solennitate bene ✠ dicimus: & concede, vt hominibus, pecoribus, pecudibus & iumentis, contra morbos, pestes, vlcera, maleficia,

incantationes, veneficia, ſerpentum, & aliarum venenoſorum, animalium, & beſtiarum morſus, necnon quæcunque venena, remedium præſtent; atque contra diabolicas illuſiones, & machinationes, & fraudes tutamen ferant, in quocunque loco poſitum, vel portatum, aut habetur aliquid ex eis. Quatenùs cum manipulis bonorũ operum, meritis beatæ Mariæ Virginis, cuius aſſumptionis feſtum colimus, quo ipſa aſſumpta eſt, ſuſcipi mereamur. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum.

Oremus.

DEvs, qui virgam Ieſſe, genitricem Filij tui Domini noſtri IEsv Chriſti, hodierna die ad cœlorum faſtigia ideo euexiſti, vt per eius ſuffragia & patrocinia fructum ventris illius, eundem Filium tuum mortalitati noſtræ communi-

cares:

carés: te ſupplices exoramus, vt eiuſdē Filij tui virtute, eiuſque genitricis glorioſo patrocinio, iſtorum terræ fructuū præſidiis, per temporalem ad æternam ſalutem diſponamur. Per eundē Chriſtum Dominum noſtrum.

Et benedictio Dei omnipotentis, Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠ ſancti, deſcendat ſuper has creaturas, & maneat ſemper. *Reſp.* Amen.

Poſtea thurificantur herbæ, & aqua benedicta aſpergantur: & ſuccedat Proceſſio cum cantu Reſponſorij, Vidi ſpecioſam, &c. vel alio feſto & officio congruenti.

## De proceſsione die decima Octobris.

Hæc Proceſſio in Gratiarum actionem, pro victoria de Turcis obtenta, approbata eſt per Breue Greg: XV. quod habetur ad calcem Synodi Gembicianæ.

Obſeruetur ordo huius Proceſſionis ex Rituali

Romano, vti pro Gratiarum actione, quæ infra ponitur, ſubtitulo; Preces dicendæ in proceſſione, pro Gratiarum actione. Addenda tamen erit Oratio propria vltimo loco: quæ ſequitur.

DOmine Deus exercituum, qui interueniente Beata Virgine MARIA, & Sanctis Regni noſtri Patronis, immanem Turcarum exercitum, in cladem Poloniæ congregatum, magna cum ignominia repuliſti: gratias tibi ſupliciter reddimus, maieſtatem tuam deprecantes, vt à quibus virgam furoris tui auertiſti, eoſdem ad te verè conuerti largiaris. Per Dominum, &c.

## DE PROCESSIONE generali, pro Fidelibus Defunctis.

COmmemoratio vniuerſalis omnium fidelium Defunctorum, ex vetuſtiſſimo Eccleſiæ inſtituto, optimaque ratione, celebratur poſtridie feſti Omnium Sanctorum. Memoria verò minus vniuer-

ſalis propriorum mortuorum, cùm locorum conſuetudinem, in trinos, ſeptenos, triceſimos, & vſq; in centeſimos dies partiri ſoleat: noſtra Prouincia ſatis commodè, in quatuor æquales anni partes illam reduxit. Quibus temporibus in Eccleſia fit Officium pro Defunctis, cum Miſſa & Proceſſionibus, ad hunc qui ſequitur modum:

DIe Omnium Sanctorum, & ſingulis Dominicis, vbi eſt conſuetudo, poſt quatuor tempora proximis, abſoluto Officio diei Veſpertino, Sacerdos Officians lugubri pluuiali indutus, ordinet Proceſſionem circa, vel ſi incommodum erit, intra Eccleſiam; cui omiſſis vexillis præferatur primo crux, & ſi fieri poteſt, duo ceroferarij cum luminibus eam præcedant: ſequatur conſueto ordine chorus puerorum, Cantorum, & vbi ad ſunt, Sacerdotum. Succedant ante ipſum Officiantem duo miniſtri, quorum vnus aqua benedicta aſpergat obuia ſepulchra, alter thuribulo prius benedicto, quatenus commodum erit, incenſet: ſequatur vltimò populus, qui de eiuſmodi officio maturiùs præmoneri debet. In primo progreſſu cantetur Antiphona. Abſolue Domine, cum pulſu campanarum: quod in reliquis Reſponſoriis ſeruetur, cantu finito ſubſiſtendo, officians cum aliis omnibus genuflexus, cantat tono

consueto lugubri: Kyrie eleison. *Resp.* Christe eleison. Kyrie eleison. Deinde voce intelligibili inchoat Sacerdos, Pater noster. Finita ab omnibus in silentio oratione Dominica, prosequitur: Et ne nos inducas in tentationẽ. *Resp.* Sed libera nos à malo.

*Vers.* A porta inferi.
*Resp.* Erue Domine animas eorum.
*Vers.* Requiescant in pace. *Resp.* A.
*Vers.* Domine exaudi orationẽ meã,
*Resp.* Et clamor meus ad te veniat.
*Vers.* Dominus vobiscum.
*Resp.* Et cum spiritu tuo.

Deinde surgendo. Oremus.

DEvs, qui inter Apostolicos Sacerdotes, famulos tuos Pontificali seu Sacerdotali, & Clericali fecisti dignitate vigere: præsta, quæsumus, vt eorũ quoque perpetuo aggregentur consortio. Per Dominum nostrum, &c. *Resp.* A.

Simili modo fiant reliquæ quatuor Stationes, mutatis tamen Responsoriis & orationibus, hoc ordine

Ad secundã Stationẽ Responsorium;

Credo, quòd redemptor meus viuit.

Oremus.

DEvs, qui nos patrem & matrem honorâre præcepisti, miserere clemẽter animabus patris ac matris meæ, eorumque peccata dimitte, meq; eos in æterna claritate fac videre. Per Christum Dominum nostrum.

Ad tertiam Stationem Responsorium.

Qui Lazarum, &c.

Oratio.

DEvs veniæ largitor, & humanæ salutis amator: quæsumus clementiam tuam, vt nostræ congregationis fratres, propinquos, & benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt beata Maria semper Virgine intercedente, cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium peruenire concedas. Per

Christum Dominum nostrum. Resp. A.

Ad quartam stationem Responsoriū.

Peccantem me quotidie, &c.

Oratio.

DEvs, cuius miseratione animæ fidelium requiescunt; famulis & famulabus tuis omnibus, hic & vbiq; in Christo quiescentibus, da propitius suorum veniam peccatornm, vt à cunctis reatibus absoluti, tecum sine fine lætentur. Per Christum Dominum. Resp. Amen.

Ad vltimam stationem, quæ ad altare maius terminari debet, Responsorium. Libera me Domine, &c.

Oremus.

FIdelium omnium DEvs conditor & redemptor, animabus famulorum, famularumque tuarum, remissionem cunctorum tribue peccatorum, vt indulgentiam quam semper optauerunt,

piis supplicationib⁹ cõsuequantur: Qui viuis & regnas in sæcula sæculorum.

*Resp.* Amen.

Demum concludat Sacerdos tono consueto: Requiescant in pace. Resp. Amen. Postremò canitur Antiphona: Salue Regina. cum suo Versu & Collecta.

Sequentibus diebus, hoc est, die Animarum, (nisi in diem Dominicum incidat, tunc enim transfertur in sequentem) & primis feriis secundis post quatuor tempora, nisi Festũ duplex similiter transferre cogat, ante Missam pro Defunctis, in qua oblationes fieri debent, fiat similis processio, & vbi est consuetudo vel obligatio, Vigiliæ, seu Matutinum, cum Laudibus Defunctorum, seruatis omnibus suprà scriptis.

## DE PROCESSIONIBVS EXTRAORDINARIIS.

### De Procesſione ad petendã pluuiam.

AGuntur omnia, vt supra in Litaniis maioribus, vsque finem Litaniarum, in quarum Precibus, bis dicitur: Vt congruentem pluuiam fidelibus tu-

is concedere digneris, Te rogamus audi nos.
In fine postea dicitur. Pater noster. secretò.
Vers. Et ne nos inducas in tentationem.
Resp. Sed libera nos à malo.

Psalmus 146.

Laudate Dominũ, quoniã bonus. &c.
Quo finito dicantur Preces.

Vers. Operi Domine cælum nubibus.
Resp. Et para terræ pluuiam.
Vers. Vt producat in montibus fænũ.
Resp. Et herbam seruituti hominum.
Vers. Riga montes de superiorib⁹ tuis.
Resp. Et de fructu operum tuorum satiabitur terra.
Vers. Domine exaudi orationem meã.
Resp. Et clamor meus ad te veniat.
Vers. Dominus vobiscum.
Resp. Et cum spiritu tuo.

Oremus

DEvs, in quo viuimus, mouemur, & su-

mus, pluuiam, nobis tribue congruentem, vt præsentibus auxiliis sufficienter adiuti, sempiterna fiducialiùs appetamus.

Oratio.

PRæsta, quæsumus omnipotens Deus, vt qui in afflictione nostra, de tua pietate confidimus, contra aduersa omnia tua semper protectione muniamur.

Oratio.

DA nobis, quæsumus Domine, pluuiam salutarem, & aridam terræ faciē fluentis cælestibus dignanter infunde. Per Dominū nostrū Iesum Christū, &c. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum Spiritu tuo. *Vers.* Benedicamus Domino. *Resp.* Deo gratias. *Vers.* Exaudiat nos omnipotens & misericors Domin⁹. *Resp.* Amen. *Vers.* Fideliū animæ per misericordiam Dei, requiescāt in pace. *Resp.* Amen.

# PROCESSIO
## Ad Postulandam serenitatem.

OMnia fiant, vt supra in Litaniis maioribus; & in Litaniarum Precibus, bis dicatur: Vt fidelibus tuis aëris serenitatem concedere digneris, Te rogamus audi nos. Ad finem obsecrationum, dicitur, Pater noster. Vers: Et ne nos inducas in tentationem. Resp. Sed libera nos à malo, &c.

### Psalmus 66.

DEvs misereatur nostri, &c.

Vers. Adduxisti Domine, Spiritum tuum super terram. Resp. Et prohibitæ sunt pluuiæ de cœlo. Vers. Cùm obduxero nubibus cœlum Resp. Apparebit arcus meus, & recordabor fœderis mei. Vers. Illustra faciem tuam Domine, super seruos tuos. Resp. Et benedic sperantes in te. Vers. Domine exaudi orationem meam Resp. Et clamor meus ad te veniat. Vers. Dominus vobiscum.

Resp.

*Resp.* Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DEvs, qui culpa offenderis pœnitentia placaris, preces populi tui ſupplicantis propitius reſpice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis noſtris meremur, auerte.

Oratio.

AD te nos Domine, clamantes exaudi, & aëris ſerenitatem nobis tribue ſupplicantibus: vt qui iuſtè pro peccatis noſtris affligimur, miſericordia tua præueniente clementiam ſentiamus.

Oratio.

QVæſumus omnipotens DEvs, clementiam tuam, vt inundantiã coërceas imbriũ, & hilaritatem vultus tui nobis impertire digneris Per Dominum noſtrum, &c.

# PRECES AD REPELLENdam tempeſtatem.

PVlſantur campanæ, & qui adeſſe poſſunt, in Eccleſiam conuocatis, dicuntur Litaniæ ordinariæ, inquibus bis dicitur, A fulgure & tempeſtate, &c. & poſt Litanias, Orationem Dominicam.

Pſalmus 147.

Lauda Ieruſalem Dominum: &c.

*Verſ.* Adiutorium noſtrum in nomine Domini. *Reſp.* Qui fecit cœlum & terram. *Verſ.* Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam. *Reſp.* Et ſalutare tuum da nobis. *Verſ.* Adiuua nos De° ſalutaris noſter. *Reſp.* Et propter gloriam nominis tui Domine, libera nos. *Verſ.* Nihil proficiat inimicus in nobis. *Reſp* Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis. *Verſ.* Fiat miſericordia tua Domine, ſuper nos. *Reſp* Quemadmodum ſperauimus in te *Verſ.* Sal-

um

um fac populum tuum Domine. *Resp.* Et benedic hæreditati tuæ. *Vers.* Nō priuabis bonis eos, qui ambulant in innocentia. *Resp.* Domine DEvs virtutum, beatus homo, qui ſperat in te. *Vers.* Domine exaudi orationem. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiſcū. *Resp.* Et cū ſpiritu tuo.

Oremus.

DEvs, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui ſupplicantis propitius reſpice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis noſtris meremur, auerte.

Oratio.

A Domo tua, quæſumus Domine, ſpiritales nequitiæ repellantur, & aërearum diſcedat malignitas tempeſtatū.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, parce metuentibus, propitiare supplicibus: vt post noxios ignes nubium, & vim procellarum, in misericordiam transeat laudis comminatio tempestatum.

Oratio.

DOmine IESV, qui imperasti ventis, & mari, & facta fuit tranquillitas magna: exaudi preces familiæ tuæ, & præsta, vt hoc signo sanctæ Crucis ✠ omnis discedat sæuitia tempestatum.

Oratio.

OMnipotens & misericors DEVS, qui nos & castigando sanas, & ignoscendo conseruas præsta, supplicibus tuis, vt & tranquillitatibus optatæ consolationis lætemur, & dono tuæ pietatis semper vtamur. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum; qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti

Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Resp.* Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

## PRECES DICENDÆ TEMpore, penuriæ, & famis.

AGuntur omnia, vt suprà in Litaniis maioribus, vsque ad finem Litaniarum, in quarum precibus: bis dicitur: Vt fructus terræ dare & conserua re digneris, Post Litanias dicitur Pater noster,&c.

Psalmus 22.

Dominus regit me, & nihil mihi deerit: &c.

*Vers.* Domine non secundum peccata nostra facias nobis. *Resp.* Neque secundùm iniquitates nostras retribuas nobis. *Vers.* Oculi omnium in te sperant Domine *Resp.* Et tu das illis escam in tempore opportuno. *Vers.* Memento congregationis tuæ. *Resp.* Quam pos-

ſediſti ab initio. *Verſ:* Dominus dabit benignitatē. *Reſp.* Et terra noſtra dabit fructum ſuum. *Verſ.* Domine exaudi orationem meam. *Reſp.* Et clamor meus ad te veniat. *Verſ:* Dominus vobiſcum *Reſp:* Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

INeffabilem nobis Domine, miſericordiam tuā clementer oſtende: vt ſimul nos à peccatis omnibus exuas, & à pœnis, quas pro his meremur, eripias.

Oratio.

DA nobis, quæſumus Domine, piæ ſupplicationis effectum, & famem propitiatus auerte, vt mortalium corda cognoſcant, & te indignante talia flagella prodire, & te miſerante ceſſare.

Oratio.

POpulum tibi ſubditum, pro peccatis

ſuis fame laborantem, ad te Domine cõuerte propitius, qui quærentibus regnũ tuum, omnia adijcienda eſſe dixiſti. Qui viuis & regnas cum Deo, &c.

## PROCESSIO TEMPORE
### Mortalitatis, & peſtis.

Fiat vtſuprà in Litaniis maioribus, & in Litaniarum precibus, dicatur bis: A peſte, & fame, Libera nos Domine. & infra ſuo loco: Vt à peſtilentiæ flagello nos liberare digneris, &c. In fine Litaniarum dicitur, Pater noſter, &c. Verſ. Et ne nos inducas intentationem, &c.

### Pſalmus 6.

Domine ne in furore tuo arguas. &c.

*Verſ.* Domine non ſecundum peccata noſtra facias nobis. *Reſp.* Neque ſecundũ iniquitates noſtras retribuas nobis. *Verſ.* Adiuua nos Deus ſalutaris noſter. *Reſp.* Et propter gloriam nominis tui Domine, libera nos. *Verſ.* Domine ne

memi-

memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum. *Reſp.* Citò anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus nimis. *Verſ.* Ora pro nobis ſancte Sebaſtiane. *Reſp.* Vt digni efficiamur promiſsionibus Chriſti. *Verſ.* Domine exaudi orationem meã. *Reſp.* Et clamor meus ad te veniat. *Verſ.* Dominus vobiſcum. *Reſp.* Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

EXaudi nos Deus ſalutaris noſter, & intercedente beata & glorioſa Dei genitriceMaria ſemper Virgine,& beato Sebaſtiano martyre tuo, & omnibus Sanctis, populum tuum ab iracundiæ tuæ terroribus libera, & miſericordiæ tuæ fac largitate ſecurum.

Oratio.

PRopitiare Domine, ſupplicationibus

noſtris, & animarum, & corporum medere lauguoribus: vt remiſsione percepta, in tua ſemper benedictione lætemur.

## Oratio.

DA nobis, quæſumus Domine, piæ petitionis effectum, & peſtilentiam, mortalitatemque propitiatus auerte, vt mortalium corda cognoſcant, & te indignante talia flagella prodire, & te miſerante ceſſare. Per Dominũ noſtrũ, &c

# PRECES DICENDÆ

## In Litaniis tempore Belli.

PEractis omnibus, vt ſupra in Litaniis Maioribus, ad finẽ Litaniarũ dicitur Pater noſter. &c.

Verſ. Et ne nos inducas in tentationem.

Reſp: Sed libera nos à malo.

## Pſalmus 45.

Deus noſter refugium & virtus: &c.

*Verſ.* Exurge Domine adiuua nos.
*Reſp.* Et libera nos propter nomen tuū.
*Verſ.* Saluum fac populum tuum Dñe.
*Reſp.* DEvs meus ſperantem in te.
*Verſ.* Fiat pax in virtute tua. *Reſp.* Et abundantia in turribus tuis. *Verſ.* Eſto nobis Domine turris fortitudinis. *Reſp.* A facie inimici. *Verſ.* Arcum contere, & confringe arma. *Reſp.* Et ſcuta combure igni. *Verſ.* Mitte nobis Domine auxilium de Sancto. *Reſp.* Et de Sion tuere nos. *Verſ.* Domine exaudi orationem meā. *Reſp.* Et clamor meus ad te veniat. *Verſ.* Dominus vobiſcum.
*Reſp.* Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DEvs, qui conteris bella, & impugnatores in te ſperantium potentia tuæ defenſionis expugnas, auxiliare famulis tuis implorantibus miſericordiam tuā,

vt inimicorum ſuorum feritate depreſſa, inceſſabili gratiarũ actione laudem⁹.

Oratio.

DEvs, à quo ſancta deſideria, recta conſilia, & iuſta ſunt opera, da ſeruis tuis illam, quam mundus dare non poteſt, pacem; vt corda noſtra mandatis tuis dedita, & hoſtium ſublata formidine, tempora ſint tua protectione tranquilla.

Oratio.

HOſtium noſtrorum, quæſumus Domine, elide ſuperbiam, & eorum contumaciam dexteræ tuæ virtute proſterne. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c.

Si verò bellum eſt contra Turcas, & alios infideles, vel Hæreticos, inter prece Litaniarum bis dicatur: Vt inimicos ſanctæ Eccleſiæ humiliare digneris, Te rogam⁹ audi nos. &c. & addatur: Vt Turca-

rum, vel Hæreticorum conatus reprimere, & ad nihilum redigere digneris, Te rogamus, &c. & dicto Pater noster, dicatur.

## Psalmus 78.

Deus venerunt gentes in hæred: &c.

*Vers.* Saluos fac seruos tuos. *Resp.* Deus meus sperantes in te. *Vers.* Esto nobis Domine turris fortitudinis. *Resp.* A facie inimici. *Vers.* Nihil proficiat inimicus in nobis. *Resp.* Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis. *Vers.* Hostium nominis tui Domine elide superbiam. *Resp.* Et eorum contumaciam dexteræ tuæ virtute prosterne. *Vers.* Fiant tanquam puluis ante faciem venti. *Resp.* Et Angelus Dñi prosequatur eos. *Vers.* Effunde iram tuã in gentes, quæ te nõ nouerunt. *Resp.* Et in regna, quæ nomen tuum non inuocauerunt. *Vers.* Mitte nobis Domine auxilium

de San-

de Sancto. *Resp.* Et de Sion tuere nos.
*Vers* Domine exaudi orationem meã.
*Resp.* Et clamor meꝰ ad te veniat. *Vesp.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DA, quæsumus, Ecclesiæ tuæ, misericors DEvs, vt sancto Spiritu congregata, hostili nullatenus incursione turbetur.

Oratio.

DEvs, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, auerte.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, in cu-

ius manu ſunt omnium poteſtates, & omnium iura regnorum, reſpice in auxilium Chriſtianorum, vt gentes Turcarum, ſeu Hæreticorum, quæ in ſua feritate confidunt, dexteræ tuæ potentia conterantur. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuũ, &c. Exaudiat nos Dominus. Amen.

## PROCESSIO IN QVACVNque tribulatione.

SERuatis omnibus, vt ſupra in Litaniis maioribus: finitiſque Litaniis, dicitur Pater noſter, &c Verſ. Et ne nos inducas in tentationem. Reſp Sed libera nos à molo.

Pſalmus 19.

Exaudiat te Dominus in die tribul. &c.

Vel Pſalmum. 90.

Qui habitat in adiutorio Altiſsimi: &c.

Quo finito dicuntur. Versus. DEVS refugium nostrum & virtus. Adiutor in tribulationibus. *Vers.* Saluos fac seruos tuos Domine. *Resp.* Deus Deus sperantes in te. *Vers.* Sanctus Deus, Sanct⁹ fortis, Sanctus & immortalis. *Resp.* Miserere nobis. *Vers.* Adiuua nos Deus salutaris noster. *Resp.* Et propter gloriam nominis tui Domine, libera nos. *Vers.* Domine exaudi orationem meã. *Resp.* Et clamor me⁹ ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

NE despicias omnipotens Deus, populum tuum in afflictione clamentẽ, sed propter gloriam nominis tui tribulatis succurre placatus.

Oratio.

Ineffabilem misericordiam tuam,

Domine, nobis clementer ostende, vt simul nos & a peccatis omnibus exuas, & â pœnis, quas pro his meremur, eripias.

Oratio.

COncede nos famulos tuos, quæsumus Domine DEVS, perpetua mentis & corporis sanitate gaudere, & gloriosa beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, à præsenti liberari tristitia & æterna perfrui lætitia.

Oratio.

TRibulationem nostram, quæsumus Domine, propitius respice, & iram tuæ indignationis, quã iustè meremur, auerte.

Oratio.

DEvs refugium nostrum & virtus, adesto piis Ecclesiæ tuæ precibus auctor

ipſe pietatis: & præſta, vt quod fideliter petimus, efficaciter conſequamur Per Dominum noſtrum, &c.

## Oratia tempore Interregni.

DEvs Regnorum omniū auctor, protector, & cuſtos: reſpice quæſumus in noui Regis noſtri electionem, vt dextera tua interueniente eligatur, qui Eccleſiæ tuæ fidelis te dirigente tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat. Per Dominum, &c.

## PRECES DICENDÆ IN proceſsione, pro Gratiarum actione.

Initio Proceſſionis, cantatur Hymnus.

Te Deum laudamus: &c.

Deinde dici poterunt Pſalmi, quiſequuntur, prout tempus feret.

Pſalmus 65. Iubilate Deo omnis terra, &c.

Psalmus 80. Exultate Deo adiutori nostri: &c.
Psalmus 95. Cantate Domino canticum. &c.
Psalmus 99. Iubilate Deo omnis terra: &c.
Psalmus 102. Benedic anima mea Domino: &c.
Psalmus 116. Laudate Dominum omnes. &c.
Psalmus 148. Laudate Dominum de cœlis: &c.
Psalmus 149. Cantate Domino canticum. &c.
Psalmus 150. Laudate Dominum in sanctis. &c
Canticum trium puerorum. *Dan:* 3. Benedic.
Canticum Zachariæ. *Luc:* 1. Benedictus Dnus.

Hæc autem prædicta, prout longitudo itineris postulauerit, vel omnia, vel ex parte cantari possunt. Deinde in Ecclesia, vbi fit statio, ante altare dicuntur sequentes versus, & Orationes.

*Vers.* Benedictus es Dñe Deus Patrũ. nostrũ *Resp.* Et laudabilis, & gloriosus in sæcula. *Vers.* Benedicamus Patrem, & Filiũ cum sancto Spiritu. *Resp.* Laudemus, & superexaltemus eum in sæcula. *Vers.* Benedict⁹ es Domine in firmamento cœli. *Resp.* Et laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus in sæcula. *Vers.*

Benedic anima mea Domino. *Resp.* Et noli obliuiſci omnes retributiones eius. *Verſ.* Domine exaudi orationem meã. *Reſp.* Et clamor me⁹ ad te veniat. *Verſ.* Dominus vobiſcum. *Reſp.* Et cum ſpiritu tuo.

Oremus

DEvs, cuius miſericordiæ non eſt numerus, & bonitatis infinitus eſt theſaurus: piiſsimæ maieſtati tuæ, pro collatis donis gratias agimus, tuam ſemper clementiam exorantes; vt qui petentibus poſtulata concedis, eoſdem non deſerens ad præmia futura diſponas.

Oratio.

DEvs, qui corda fidelium, ſancti Spiritus illuſtratione docuiſti; da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de eius ſemper conſolatione gaudere.

## Oratio.

DEvs, qui neminem in te ſperantem nimium affligi permittis, ſed pium precibus præſtas auditum, pro poſtulationibus noſtris, votiſque ſuſceptis, gratias agimus, te piiſsimè deprecantes, vt à cunctis ſemper muniamur aduerſis. Per Dominum noſtrum, &c.

# DE PROCESSIONE IN Translatione ſacrarum Reliquiarum inſignitum.

ECcleſia, & viæ, per quas tranſeundum eſt, quàm fieri poteſt, dicentius ornentur. Sacerdotes, & miniſtri veſtibus induti, albi, vel rubei coloris, prout Sancti, quorum Reliquiæ transferuntur, expoſcunt, & cum luminaribus accenſis omnes procedant, decantantes litanias cum inuocatione Sanctorum, quorum Reliquiæ deferuntur; & Hymnū, Te Deum, &c. & Pſalmū. Laudate Dominum de cœlis, cum duobus ſequentibus, & alios Pſalmos, & Hymnos, de proprio, vel de communi eorum ſanctorū, quorum Reliquie transferuntur.

# THVRIFICATIONIS
## Modus in Vesperis.

THurificatio altarium, fit tantùm more Romanæ Ecclesiæ in primis Vesperis festorũ solennium. Vnde sequitur, quòd exceptis Vigiliis, in tribus sequentibus diebus festis. Natalis Domini, Paschæ, & Pentecostes, omitti debet: similiter & in aliis diebus festis, nisi à Capitulo fiat Officium de futuro festo solenni. Fieri autem debet hoc ordine: Ad Canticũ Magnificat, Officians in pluuiali, tempori congruẽti, ante maius altare, accipit à Diacono vel ministro thuribulum accensum: & imposito ex nauicula incenso, dicente Diacono: Iube Domine benedicere. Respondet benedicendo in forma crucis: Incensum istud dignetur Dominus benedicere, & in odorem suauitatis accipere. Per Christum Dominũ nostrũ. Resp. Amen. Deinde accedit ad maius altare, & illud osculatur; ibique accepto à ministro thuribulo, facta reuerentia, incæpto Magnificat, incensat altare maius, eo modo, qui in Missali de thurificatione in Missa solenni præscriptus est. Si verò venerabile Sacramentum in altari expositum est, vel ibi sit Ciborum, prius illud thurificet, triplici ductu. Deinde crucem & ipsum altare, dicendo; Dirigatur Domi-

ne oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo: eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.

Finita thurificatione, reddit thuribulum miniſtro, & facta reuerentia (ſeu venerabili Sacramento genuflexione) recedit. Deinde ſi Ciborium ſit in vicino altari, ad illud adolendū procedatur; alioqui ſi remotius fuerit, in ſuo ordine incenſetur. Poterit autem omitti, vel etiam pro maioris feſti ſolennitate fieri aliorum altariū thurificatio, prouiſo, vt ante finem Cantici Magnificat tempeſtiuè ad proprium locum Officians redeat, vbi ſtans ab aſſiſtente ſeniore Sacerdote, thurificari debet. Clerum autem & populum thurificabit, ſi adeſt, Vicarius vel Subdiaconus, ſeu ipſe hebdomadarius, iuxta locorū conſuetudinem. Aduertat autem is qui incenſat, vt ab incenſatione tunc deſiſtat, cùm officians incipit velle cantare, Dominus vobiſcum, ante orationē, hoc eſt cantu, Magnificat, finito.

Cæterum altaria nō thurificentur, niſi candelæ in eis accenſæ, & menſæ altarium decenter fuerint ornatæ.

# EXCEPTIO NOVI ARCHIEPISCOPI ET EPISCOPI.

## Ad primum Ciuitatatis ingreſſum, poſt conſecrationem.

MAior Prælatus, siue Rector Ecclesiæ, superpelicio & pluuiali pretiosiore indutus, cum suo Clero, & vniuerso populo, præcedentibus vexilli & candelis, ac Sacerdotibus reliquias deferentibus, nouum Antistitem ad primum ingressum post consecrationem excepturus, extra ciuitatem processionaliter vadat, vsq; ad oratoriū seu locū aliquem decentem, in quo mensa ( vbi altare nullum est ) strata sit, ad reponendum in eam Sanctorum Reliquias.

Tunc Prælatus seu Rector, flexis ad candē mensam genibus, crucem aut alias reliquias, Episcopo postquam Offertorium fecerit, similiter genua flectenti, exosculandas, debita reuerentia porrigat: Et tunc cū cantu Responsorij, Posui adiutoriū super potentem, &c. ( vt post lectionem quintam, de Communi Confessoris Pontificis ) vsque in Ecclesiam deducatur

POsui adiutorium super potentem, & exaltaui electum de plebe mea: Manus enim mea auxiliabitur ei. *Vers.* Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo vnxi eum. Manus.

Quod si non sufficiat, canatur etiam Responsorium de Patrono Ecclesiæ illus, resonantibꝰ interim

Ecclesiæ campanis. Ingrediente autem Episcopo Ecclesiam, mox solenniter incipiatur Canticum, Te Deum laudamus. Ibidemque statim Prælatus offert Episcopo reuerenter aspersiorium cum aqua benedicta, quo aspergit Episcopus primo seipsum, deinde alios. Tum deducitur ad altare maius, vbi super faldistorio ante infimum gradum altaris parato, siue cathedra parata, procumbit, vel alias ad pedem eiusdem altaris genua flectit, & orat. Finito autem cantico, Prælatus eiusdem Ecclesiæ, super eo in cornu Epistolæ altaris versus ad orantem dicat.

*Vers.* Exaltent eum in Ecclesia plebis. *Resp.* Et in cathedra seniorum laudent eum. *Vers.* Mitte ei auxilium de sancto. *Resp.* Et de Sion tuere eum. *Vers.* Esto ei Domine turris fortitudinis. *Resp.* A facie inimici *Vers.* Dñe exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEvs omnium fidelium pastor & rector, famulum tuum Episcopum no-

ſtrum, quem Eccleſiæ tuæ præeſſe voluiſti, propitius reſpice: da ei quæſum°, verbo & exēplo, quibus præeſt proficere, vt ad vitã vna cum grege ſibi credito, perueniat ſempiternam. Per Chriſtum Dominũ noſtrum. *Reſp.* Amen.

Poſtea ſurgens Epiſcopus aſſumpta ſtola, aſcendit ad altare, illudque in medio exoſculatur, vbi ſtans dat benedictionem ſolennem populo, dicens:

*Verſ.* Sit nomen Domini benedictũ. *Reſp.* Ex hoc nunc, & vſque in ſæculum. *Verſ.* Adiutorium noſtrũ in nomine Domini. *Reſp.* Qvi fecit cœlum & terram. *Verſ.* Benedicat vos omnipotens DEvs Pa✠ter, & Fi✠lius, & Spiritus✠ ſanctus. *Reſp.* Amen.

Quibus ſic peractis, Prælatus, Sacerdotes, & alij depoſitis paramentis, comitantur Epiſcopum ad Palatium ſuum, ſeu Diuerſorium.



# INTRODVCTIO NOVI PLEBANI, SEV BENEFICIATI.

EXecutor requisitus à Plebano seu Beneficiato, vigore tituli sui, visis autenticis & originalibus literis, Inuestituræ seu prouisionis illius, curet conuocari Clerum & populum pro testimonio, per pulsum campanæ maioris. Et intronizandus indutus superpelliceo & stola, flectat genua ante fores Ecclesiæ: & introducens ipsum similiter indutus, & & genua flectens dicat:

*Vers.* Adiutorium nostrum in nomine Domini.

*Resp.* Qui fecit cœlum & terram.

Et oret cum ipso Psalmum. Miserere mei Deus, secundum magnam, &c. quilibet suum versum. Finito Psalmo, dicant simul: Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Aue Maria. Et surgens introducens dicat;

*Vers.* Et ne nos inducas in tentationē. *Resp* Sed libera nos à malo. *Vers.* Sacerdotes tui induantur iustitiā. *Resp.*

Et

Et Sancti tui exultens. *Vers.* Saluum fac seruum tuum. *Resp.* Deus meus sperantē in te *Vers.* Deus custodiat introitum tuum. *Resp.* Ex hoc nunc, & vsque in sæculum.

Oremus.

PRætende Domine, famulo tuo, dexteram cælestis auxilij; vt te toto corde perquirat,& quæ dignè postulat, cōsequi mereatur. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Poststea tradat ei claues Ecclesiæ, dicens.

Accipe has claues, vt iisdem aperias ac claudas, quibus & quando oportet: in nomine Domini.

Aperto posthac per eum ostio, inducat eum porrecta ei stola, executor: dicens:

Ingredere in domum Dei, cuius pietate ad ministerium ipsius vocatus es,

vt cum grege tibi credito, vitam ingredi merearis sempiternam. Per Christū Dominum nostrum. Amen.

Et aspergat eum aqua benedicta. Deinde præcedente Clero, qui hactenus intra Ecclesiam ad fores præstolabatur, vadunt ad summum altare, vbi ambo genua flectentes, facta breui oratione, ascendunt ad planum altaris. Et tunc Executor, intronizando modicum inclinato ad altare, tangentique ambabus manibus ipsum altare, in medio tradat possessionem, dicens:

Authoritate & mandato Domini nostri Reuerēdissimi N. Episcopi N. mitto te in corporalem & actualem huius Ecclesiæ possessionem, constituens te Rectorem eius, in spiritualibus & temporalibus, ac curam animarum, illius tibi committens, quam ita administrabis in animam tuam; vt in die Iudicij, Deo rationem administrationis tuæ reddere valeas. Et propterea tibi de

ipsius

ipſius fructibus & obuentionibus, ab his quorum intereſt, reſponderi iubeo: In nomine Patris, & Fi ✠ lij, & Spiritus ſancti. Amen.

Quo peracto, intronizatus facto ſigno Crucis in medio altaris, exoſculetur illud, & ſi adeſt Clerus, cantetur Antiphona de Patrono Eccleſiæ, cum Verſu & Collecta, quam nouus Rector dicat. His peractis, pulſentur omnes campanæ, & decantetur, Te Deum laudamus. Demum Executor, aut alius quiſpiam ad hoc idoneus, commendet eum populo, & iubeat, vt illi tanquam Rectori de cætero obediant, & de omnibus prouentib⁹ & iuribus, integrè reſpondeant. Si verò autoritate Papæ poſſeſſio danda eſt, dicatur: Authoritate & mandato Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ, mitto te in corporalem, &c.

Poſtremò de Eccleſia intrando Plebani, dicat Executor.

*Verſ.* Pax hic domui.
*Reſp.* Et omnibus habitantibus in ea.

Oremus.

VIsita, quæsumus Domine, habitationem istam, & omnes insidias inimici ab ea longè repelle, & Angeli tui sancti nos in pace custodiant: Et benedictio tua sit super nos semper. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

In simplicibus verò beneficiis, vt potè, Vicariis & Altaristis, ac cæteris, Executor, vt suprà, & inducendus, superpelliceo induti, coram Notario (si haberi possit) & testibus ad hoc rogatis, & præsentibus aliquibus eius Ecclesiæ Beneficiatis, si qui sint, vadunt ad altare beneficij, vbi genua flectunt; factaq; breui Oratione, Executor tradat possessionem Beneficiato, dicens:

Authoritate & mandato Domini nostri Reuerendissimi Episcopi N. mitto te in corporalem & actualem huius Vicariæ (Altaris) Sancti N. possessionem, committens tibi administrationem spiritualem & temporalem ipsius, cuius administrationis rationem in die iudi

iudicij te Domino redditurum ſcias. Iubeo præterea tibi de ipſius fructibus & obuentionibus, ab his quorum intereſt, reſponderi. In nomine Patris, & Filij & & Spiritus ſancti. Amen.

Quo peracto, intronizatus facto ſigno Crucis in medio altaris, exoſculetur illud; poſtremò Executor aſpergat eum aqua benedicta.

# SVPPLEMENTA
## DE ABSOLVTIONE
### Ab excommunicatione in foro exteriori.

SI poteſtas abſoluendi ab excommunicationis ſententia Sacerdoti commiſſa fuerit à Superiore, & in mandato certa forma ſit præſcripta, illa omnino ſeruanda eſt; ſi verò in mandato ſeu commiſſione dicitur, in formâ Eccleſiæ conſueta abſoluat. Hæc ſeruanda ſunt:

Primò, vt excommunicatus ei, ob cuius offenſam in excommunicationem incurrit, priùs; ſi poteſt, ſa-

tasfaciat: quod si tunc non possit, sufficientem cautionem præbeat; aut saltem si eam præstare non potest, iuret se, cùm primùm poterit, satisfacturum.

Secundò, si crimen, ob quod in excommunicationem incidit, sit graue, iuramentum ab eo exigatur de parendo mandatis Ecclesiæ, quæ illi fient pro tali causa: ac præcipuè, ne deinceps delinquat contra illum Canonem, vel decretum, contra quod faciẽdo, censuram incurrit.

Deinque hunc absoluendi ritum obseruabit.

Pœnitentem coram se vtroque genu flexo, in humero, si vir fuerit, vsque ad camisiam exclusiuè denudato, virga aut funiculis sedens leuiter percutit, dicendo totum Psal: Miserere mei DEvs, &c. cum Gloria Patri, &c.

Deinde surgit, & aperto capite dicit:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, &c. *Vers.* Et ne nos inducas in tentationem. *Resp.* Sed libera nos à malo. *Vers.* Saluum fac seruum tuũ, *vel* ancillam tuam Domine. *Resp.* Deus meus sperantem in te. *Vers.* Nihil proficiat inimicus in eo, *vel* in ea.

*Resp.* Et filius iniquitatis non nocebit ei. *Vers.* Esto ei Domine turris fortitudinis. *Resp.* A facie inimici. *Vers.* Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscũ. *Resp.* Et cũ spiritu tuo.

Oremus.

DEvs, cui proprium est misereri semper & parcere, suscipe deprecationem nostram, vt hunc famulum tuum, quem excommunicationis sententia constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absoluat. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Mox sedet, & cooperto capite dicit.

Dominus noster IEsvs Christus te absoluat, & ego authoritate ipsius, & Sanctissimi Dñi nostri Papæ N. Rñdmi Episcopi N. vel talis superioris, mihi

commissa, absoluo te à vinculo excommunicationis, in quā incurristi, vel incurrisse declarat' es, propter tale factū, vel causam, &c. & restituto te communioni, & vnitati fidelium, & Sanctis Sacramentis Ecclesiæ: In nomine Patris ✠ & Filij, & Spiritus sancti.

Quod si Sacerdoti nulla sit à Superiore præscripta forma, nec sibi mandatum, vt in forma Ecclesiæ cōmuni, vel consueta absoluat; tunc nihilominus pro rei grauitate, prædictam cæremoniam, & preces adhibeat. at verò si res non fuerit adeò grauis, absoluere poterit, dicens:

Dominus noster IEsvs Christus te absoluat, & ego authoritate ipsius, & Sanctissimi Domini nostri Papæ (si à Papa fuerit delegatus) vel Reuerendiss. Episcopi N. vel talis Superioris, mihi concessa, absoluo te &c. vt suprà.

In foro autem interiori. Confessarius habens facultatem absoluendi excommunicatum, absoluat iuxta formam communem supra præscriptam in absolutione Sacramentali.

# Ritus absoluendi

## excommunicatum iam mortuum.

SI quis excommunicatus ex hac vita decedens, dederit signum contritionis: ne Ecclesiastica careat sepultura, sed Ecclesiæ suffragiis, quatenus fieri potest, adiuuetur, absolui potest hoc modo.

Si corpus nondum sepultum fuerit, verberetur & absoluatur, vt infra, deinde absolutum in loco sacro sepeliatur.

Si verò fuerit sepultum in loco profano, si commodè fieri poterit, exhumabitur, & eodem modo verberabitur, & post absolutionem, in loco sacro sepelietur; sed si commodè exhumari non potest, locus sepulturæ verberetur, postea absoluatur.

Quod si in loco sacro sit sepultus, non exhumabitur, sed verberabitur sepulchrum. Dum autem corpus, siue sepulturam verberat, Sacerdos dicat Antiphona. Exultabunt Domino ossa humiliata. Psal. Miserere mei, &c.

Quo facto absoluatur dicendo: Authoritate mihi concessa; ego te absoluo à vinculo excommunicationis, quam

incurristi, vel incurrisse declaratus es, propter tale factum, & restituo te communioni fidelium; In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen. Deinde dicatur Psal: De profundis. in fine Requiem æternam dona ei Domine. *Resp.* Et lux perpetua luceat ei. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, &c. *Vers.* Et ne nos inducas in tentationem. *Resp.* Sed libera nos à malo. *Vers.* A porta inferi. *Resp.* Erue Domine animam eius. *Vers.* Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscũ. *Resp.* Et cũ spiritu tuo.

Oremus.

DA, quæsumus Domine, animæ famuli tui, quem excõmunicationis sententia constrinxerat, refrigerij sedem, quietis beatitudinem, & superni lumi-

nis claritatem. Per Christum Dominũ nostrum. *Resp.* Amen.

# De modo absoluendi

## à Suspensione, vel ab Interdicto extra vel intra Sacramentalẽ confessionẽ

SI Sacerdoti sit commissa facultas absoluendi aliquem à suspensione, vel interdicto, quamuis nulla verba sint præcipuè determinata, vti poterit hac formulâ.

Pœnitens dicat: Confiteor, &c. Sacerdos Misereatur, &c. Indulgentiã. &c.

Authoritate mihi ab N. traditâ, Ego absoluo te à vinculo suspensionis, vel Interdicti, quam vel quod, propter tale factum, vel causam incurrisse declaratus est; In nomine Patris ✠ & Fili, & Spiritus sancti. Amen.

Si verò Confessario siue in foro cõscientiæ, siue extra, data est potestas dispẽsandi super irregularitate: tunc postquã absoluerit à peccatis, addat consequenter:

Et eadem authoritate, diſpenſo tecũ ſuper irregularitate, vel irregularitatibus, ſi ſunt plures, in quã, vel in quas ob talem, vel tales cauſas, eas exprimendo, incurriſti, & habilem reddo, & reſtituo te executioni Ordinum, & officiorum tuorum; In nomine Patris, ✠ & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

Si nullum habet Ordinem, dicatur:
Habilem reddo te ad omnes Ordines ſuſcipiendos, vel etiam ad alia iuxta tenorem mandati.

Quod ſi neceſſe ſit ad titulum beneficij reſtituere, & fructus male perceptos condonare, ſubiungat:

Et reſtituo tibi titulum ſeu titulos, beneficij, ſeu beneficiorum, & condono tibi fructꝰ malè perceptos: In nomine ✠ Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

Aduertat autem Sacerdos, ne vllo modo in iis facultatis ſuæ terminos excedat.

# FORMVLÆ SCRIBENDI
## in libris habendis apud Parochos, vt infra notatur. *fol.* 30.

LIber baptizatorum habeatur in Ecclesiis, in quibus cōfertur baptiſma.

Liber confirmatorum habeatur in Ecclesiis, in quibus confertur Chriſma.

Liber Matrimoniorum.

Liber ſtatus animarum.

Liber defunctorum habeatur etiam in omnibus Ecclesiis, in quibus defuncti ſepeliuntur,

His tres habeantur à quolibet Parocho.

Aduertat inprimis Parochus, vt libris tàm Baptizatorum, & confirmatorū, quàm Matrimoniorum, & defunctorū, ex primat ſemper non ſolū nomen perſonarū; quæ ibi nominantur; ſed etiam familiam.

## Forma deſcribendi Baptizanos in primo libro notatur fol: vt ſupra. 30.

Si vero infans non fuerit ex legitimo matrimonio natus, nomen ſaltem alterius parentis, de quo conſtat, ſcribatur, ( omnis tamen infamiæ vitetur occaſio) ſi vero de neutro conſtat, ita ſcribatur.

Baptizaui infantem, cuius parentes ignorantur, natum die, &c. vt ſuprâ

Si expoſitus ſit infans, exprimatur, quo die, vbi, & à quo repertus, & quot dierum veriſimiliter ſit, & baptizetur ſub conditione, ſi ignoratur fuiſſe baptizatum

Si infans domi, ob imminens mortis periculum baptizatus ſit, tunc ita ſcribatur.

Anno Die Menſis Natus eſt N. filius N. & N. coniugũ, &c. vt ſupra. quem ob imminens mortis periculum in domo ritè baptizauit. N. obſtetrix probata, vel N. filius N. vt mihi retulit N.

Si ſu

Si superuixerit infans, & adhibitæ sint in Ecclesia sacræ cæremoniæ, ita addatur.

Die eiusdē Mensis, ad Ecclesiā, portat⁹ est infans prædictus, ipsique ego Parochus, sacras cæremonias & preces adhibui, & N. nomen imposui.

S fortè non Parochus, sed alius baptizauerit, id exprimatur.

Si fuerit baptizatus sub conditiones, (si non es baptizatus, &c. id pariter exprimatur.

## Forma describendi Confirmatos, in secundo libro.

Anno die mensis, &c Qui fuit dies, &c. N. filius N. & N. Coniugū. N. vel filia N. (& si fuerit nupta, addatur vxor N.) Sacramentum Confirmationis accepit à Reuerendiss. D. N. Episcopo N. in Ecclesia S. N. Ciuitatis N loci N. Cōpater fuit N. filius N. Parochiæ S. N. Ciuitatis vel loci N.

Marium descriptio in vna pagina, seu prima facie folij; fœminarũ verò in altera seiunctim notetur.

Si confirmatus non constet, an ex legitimo matrimonio genitus sit, vel parentes ignorentur seruetur, quòd in libro Baptizatorum prescriptum est.

## Forma scribendi Coniugatos in tertio libro. habetur supra fol. 48.

Si vnus ex iis, qui Matrimonium contrahere voluerint, alterius Parochiæ fuerit, antequam admittatur, Parochus, in cuius Ecclesia Matrimonium celebrari debet, denunciationum in ei Parochia ritè factarum, fidem scriptam habeas, quæ asseruetur, & res tota exprimatur in ipsomet libro Matrimonium, hac ratione:

Denunciationes huius Matrimonij, factæ sunt etiam à R. D. N. Parocho Ecclesiæ S. N. sub cuius cura dictus N. vel dicta N. habitat, vt ex ipsius Parochi scripto seruato apud me apparet. Denunciationum autem prima facta est die secunda die tertia die inter

Missæ

Missæ Parochialis solemnia, nullumq; impedimentum Canonicū detectū est.

Si autem alteruter sit diuersæ Diœc: testimonium Parochi affirmantis, denuntiationes esse ritè præstitas, nullius roboris censeatur, nisi ab Episcopo, vel ab eius Vicario Generali illius Diœcesis, subscriptione, & sigillo comprobatum, & ab Episcopo, seu eius Vicario loci, vbi contrahitur matrimonium, recognitum sit, ab eoque licentia contrahendi fuerit obtenta.

Vbi verò Ordinarij concessu (quod scripto constare debet) denunciationes aliquæ differendæ, aut omittendæ interdum sunt, ita notentur.

Anno Domini die mensis Denunciationum vna die ritè facta, reliquis verò dilatis post matrimonij celebrationem, ex facultate scripto concessa à Reuerendiss: N. seu à Vicario N. sub die datis, &c. infrascripti tenoris: quam penes me seruo, cū alijs huismodi facultatibus, nulloque prorsus impedimento allato. Ego, &c. vt supra.

Denunciationes verò, quæ post contractum matrimonium fient, ita scribantur.

Anno die mensis qui fuit Festus,&c. & sequenti, qui fuit Dominic⁹, &c. eiusdē mensis; Ego N. Rector huius Ecclesiæ S. N inter Missarū solennia denunciationes habui matrimonij, iam præuia opportuna dispensatione initi inter N. & N. die prima huius mēsis; nullum tamen Canonicum impedimentum ab aliquo allatum est, quo minus huiusmodi matrimonium ratū, ac firmum esse debeat.

Si autem denunciationes omnes omittendæ sint, aut differendæ; ita scribantur: Denunciationibus omnibus omissis, vel dilatis, &c. ex facultate, &c. Ego Rector, N. &c. vt supra.

Cæterum si alteri Presbytero ab Ordinario, vel à Parocho ipso, facultas facta sit coniungendi aliquos; id in libro proprij Parochi sic adnotetur ipsius Parochi manu.

N. Presbyter, vel Capellanus Ecclesiæ N. de licentia Reuerendissimi Episcopi N. seu N. eius Vicarij loci N. aut mea, quæ penes me extat N. filium N. & N. &c. matrimonio coniunxi, &c. vt supra. Et ego N. Parochus N. subscripsi, & testor, rem ita se habere.

Quod si ex denunciationibus compertum sit, cõiuges aliquo consanguinitatis, aut affinitatis gradu coniunctos esse, nihilominus ad contrahendum fuerit cum ipsis Apostolicà auctoritate dispensatum, adnotetur gradus consanguinitatis, vel affinitatis dispensatæ, & compendium decreti super ea relati, cũ die & anno, ac notarij de illo rogati nomine, hoc modo.

Anno Domini Die Mensis præmissis denunciationib⁹, ac comperto impedimento, secundi, vel tertij aut quarti gradus consanguinitatis, vel affinitatis, seu alio quouis, &c. inter N. &

N &c obtentoque per eos Apostolicæ Sedis mandato de dispensando, & cum eis per Reueren: Episcopum N. auctoritate dispensato sub die Anno vt constat ex Actis Notarij officij prædicti Episcopi, eos matrimonio coniunxi, &c. vt in prædicta formula

Denunciationes autem factæ in diuersis Parochiis, sponsi videlicet & sponsæ, ab vtroque Parocho in libro notari debent, etiamsi matrimonium non sequatur.

## Forma describendi statum Animarum quarto libro.

FAmilia quæque distinctè in libro notetur, interuallo relicto ab vnaquaque ad alteram subsequentem, in quo sigillatim scribantur nomen, cognomen, ætas, singulorum, qui ex familia sunt, vel tanquam aduenæ in ea viuunt.

Qui verò ad sacram Communionē admissi sunt, hoc signum C. in margine contra habeant.

Qui Sacramento Confirmationis sunt muniti, hoc signum habeat Chur

Qui ad alium locum habitandum accesserint, eorum nomina subducta linea notentur

Hac igitur. ratione fiat, videlicet.

Anno die Mensis In via seu Platea, seu Pago, in propriis ædib9 Pauli N. vel in ædibus N. à Paulo conductis habitant.

Chr. Paulus N. Petri filius annorum, &c.
Chr. Apolonia eius vxor, filia Iacobi N. annorũ &c
C. Dominicus eorum filius, annorum, &c,
Lucia eorum filia, annorum, &c.
C. Chr. Antonius Filius N. famulus, annorum, &c.
C. Catharina N. filia N. ancilla, annorum, &c.
✠ Martinus filius N. annorum, &c.

## Forma scribendi Defunctos in quinto libro.

DEscribatur quis, & quæ, & cui Sacramenta ministrauerit, quando quis mortuus fuerit, & vbi sepultus, quod hoc pacto fieri poterit.

Anno die Mensis N. filius N. ex loco N. ætatis N. ( si hæc sciri possunt. ) in domo N. in com-

munione Sanctæ Matris Ecclesiæ animā Deo reddidit, cuius corpus die  sepultum est in Ecclesia S. N. mihi N. vel N. Confessario probato confessus die  Sanctissimoque viatico refectus die  & sacri Olei vnctione roboratus etiam per me die



⁂(✠)⁂

# INDEX ET ORDO
## præcipuarum rerum, quæ in prima parte huius Ritualis libri continentur.

# INDEX

## Eorum, quæ in secunda parte huius Ritualis libri continentur.

# INDEX



De pro-

# INDEX





Grzegorz
Emery.

Grzeg

Grzegus Emery

Nasz pan Laskas

